
DR. ERNST DARMSTAEDTER
No. 877
COLLECTION

Q. D. B. V.

DISSERTATIO MEDICA INAVGVRALIS

DE

IPECACVANHA AMERICANA, ET GERMANICA,

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DOMINO

GVILIELMO HENRICO,

DVCE SAXONIÆ, IVLIACI, CLIVIÆ AC MONTIVM, ANGARIÆ ET WESTPHALIÆ, & reliqua,

PRÆSIDE

GEORGIO VVOLFFGANGO VVEDELIO,

HEREDITARIO in Schwartza/

MEDICINÆ DOCTORE, COMITE PALATINO CÆSAREO, CONSILIARIO ET ARCHIATRO DVCALI SAXONICO, THEORETICES PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO,

Patrono & Præceptore omni pietatis cultu honorando,

PRO LICENTIA

Summos in arte medica honores, Insignia & Priuilegia Doctoralia, MORE MAIORVM, rite capessendi,

PVBLICÆ ERVDITORVM DISQVISITIONI EXPOSITA

a

IOHANNE LAVRENTIO LEINCKER, Noribergensi,

IN AVDITORIO MAIORI,

Horis ante- & pomeridianis consuetis, A. D. April. A. C. M DCCV.

JENÆ, LITTERIS CHRISTOPH. KREBSII.


WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY



PRÆFAMEN.



Oncinne *C. Plinius l. 8. epist. 20.* ita natura comparatum est, *ait*, vt proximorum incuriosi longinqua sectemur; seu quod omnium rerum cupido languescit, cum faciiis occasio est, seu quod differimus, tanquam sæpe visuri, quod videre datur, quoties velis cernere.

Ast vti verissimum hoc est, & non raro vitio vertendum, si aliunde haurias aquam, meliori in proprio fonte reperiunda; ita naturæ ministros medicos decet, & patria lustrare dona, & peregrina sectari, ex vtrisque Dei O. M. maiestatem venerari, & humano generi salutarem opem venari.

Consultum hinc omnino & necessarium, & domi esse curiosum, & aliunde asportata non negligere, sed examinare & seligere. Nondum exhausta est botanica in nostris oris, quin noua aliqua quærentibus obuient. Sufficiat in exempli vicem vel vnicam *plantaginem gramineam flore sulphureo* nominare, plurimis, si non omnibus quasi, inuisam, & copiose tamen & sponte luxuriantem.

Longe maxime vero adaucta est supellex botanica & medica post, quam per celeberrimorum virorum curas institutaque commercia, exoticorum additione, & vtilium & iucundorum, admirandorum singulorum, quotidie apud nos increscit catalogorum moles.

Inſtar omnium iam ſit IPECACVANHA Americana, cuius radix decantatiſſima adeo illexit Europæorum animos, vt aſportari cœperit magis, & in vſum vocari, imo caput erigere & aliis contra applauſum mereri.

Hanc itaque dum Speciminis Inauguralis loco delibandam ſumſimus intimius, diuinum imploramus numen, vt id eueniat feliciter!

CAPVT I.

Ipecacuanhæ hiſtoria & ſpecies.



T alia, ita etiam medicamenta non omnia vnam eandemque experiuntur fortunam. Alia præ inuidia cum ſuo moriuntur auctore, alia noxia futura mature in prima ſuffocantur herba, qualis erat planta hæmagoga a *Galeno* memorata. Non parum vero vbiuis refert, quem Auctorem habeant, imo & quem patronum, vel præconem.

Valet id tum in aliis, vt in anatomicis ipſis, vbi de inuentionis gloria ſæpe certamen eſt non leue, & tamen hoc non obſtante non emicat illa gloria longius, ſed tranſitoria eſt, non ferens ſemper ætatem. Factum id fuit circa chirurgiam infuſoriam, aliaque. Habent ſe iſta ſæpe inſtar aſtrorum, & in cœlo conſpicuorum phænomenorum: quædam in principio admirantur vel nouitatis ſpecie, hinc quando fatiſcunt vel exſpirant, obliuioni traduntur, non comparentia amplius.

Seor-

Seorſim cum verſemur circa noua ſimplicia, maxime ex nouo orbe allata, vel alioqui incognita, quædam a medicis ſolidioribus in forum producuntur, plurima a mercatoribus. Non omnia idem experiuntur fatum. Nouitate abblandiuntur, raritatis iure amantur, ſæpius vero, quam quod viſum oblectent, nihil commodi nobis præſtant, & illorum poſſeſſio vix alia felicitate beat poſſeſſores ſuos, niſi ſola hac laude, qua poſſidere rem illam dicuntur. Alia vero vtilitatis quoque inexhauſtæ laudem amœno nouitatis ſuæ titulo iunctam habent, qua maxime ſeſe commendant, vnde medicorum in ſpecie, ſi non & aliorum, induſtria curioſe conquiruntur, interque arcana eorum religioſe cuſtodiuntur.

Cum ergo ab vtili æſtimanda hæc talia veniant vnice, arduum eſt & rarum contingens quaſi, vt in claſſicum vſum cedant, vt officinalium ordini honorifico & ſalutari aſſocientur. Imo, vt alias quoque in capeſſendis honoribus mora opus eſt, ita ex alio loculo ipſa circulatio ſanginis, olim & in nomine & in re notiſſima, cum velut ex orco reuocata eſſet ab *Harueo*, plurimos offendit aduerſarios, prius, quam in ſcholis medicis reciperetur. Nec prius id factum fuit, quam *Waleus*, *Bartholinus*, *Rolfincius*, *Conringius* ſuis votis faſtigium ipſi præcipuum fœnerarentur.

Gialapæ radix ante centum hosce annos iam innotuerat, a *Fonſeca* Luſitano cum laude & viribus memorata *tom. I. conſult. 11. p. 97.* nobilitata vero demum pluribus annis poſt, Rolfincianis præcipue experimentis, interque præcipua merita eſt reponi purgantia.

Lapis porci ſpinoſi dicti, ab eodem *Fonſeca* iam con-

tra colicum dolorem commendatus in infuso, *Tom. II. conf. 81. p. 472.* nostra demum ætate nouum splendorem per experimenta recentiora indeptus est. Fatendum tamen hoc quoque, quod non cuiusuis sit experimenta facere, ob raritatem, ob pretium, ob alia, vt hæc & similia inter desiderata potius medica reponi mereantur sæpe, quam inter experimenta, & reliqua pharmaceutica præsidia. Idem obtigit quoque Ipecacuanhæ suo loco.

Primum & præcipuum nomen est IPECACVANHA, id enim merito sequimur, quamuis Ipecacoanham vocet *Marcgrauius*, alii hypecacuannam, Ipecuanham, & aliis similibus alii passim, sine & cum aspiratione.

Barbarum id quidem est nobis, sed si quæ lingua naturalis, quam vocant, detur, aut potius ex viribus de nominis ratione augurandum fuerit, videtur sonare idem, quasi dicas, sistens alui fluxus. Sin ad Græcanicam quandam analogiam respicere velimus; maxime illi quadrat ὑπήκοον, *hypecoum Dioscoridis*, & veterum aliorum, idque tanto magis huic nostræ assignari posset, quanto obscurius illud est, & hodie minus vel cognitum apud nos, vel in vsu.

Ad hunc sensum hypecoum hoc, idem audiens ac obsequum, obediens, notauerit medicamentum expertum, cui fidere possis in demandata sibi prouincia. Vtut enim non absolute dici possit remedio, verbis *Helmontii*: Vade tu ad talem venam, & ad istum locum; nihilominus tamen actiones specificorum sunt determinatæ, sub directorio Archei, & certo sensu id verum est omnino. Sic cantharidum acrimonia volatilis ad vesicam terminatur, purgantium vis ad intestina, opii virtus ad cerebri poros resultat.

Primus, quod sciamus, & plantæ huius nomen, & ipsius iconem vsumque & dosin publice edidit *Guilielmus Piso*, & quidem gemino libro. Prior est *Historia Naturalis Brasiliæ, Amstelodam. 1648.* eiusque *lib. 4. de facultat. simplic. cap. 65. p. 101.* quod integrum iisdem verbis transtulit & repetiit latius Altero *de Indiæ vtriusque re naturali & medica l. 4. c. 53. p. 231.* & alibi passim eius meminit, vel hoc nomine famam immortalem meritus.

Longum foret illa huc singula transcribere, quæ suis loculis delibabimus; non possumus tamen non locum vnum, saltim primum, eumque instar omnium, vbi illum non quæras locatum, ex *l. c. lib. 2. p. 20.* excerpere: Cum res medica, *inquit*, fere hic (in Brasilia) absoluatur meris vegetabilibus, quorum copia facile inopiam mineralium compensat, vomitoria plurima in vsu sunt. Sed ceteris facile palmam præripiunt celebres illæ radices Ipecacuanhæ. Ad has primum refugium capiunt omnes pariter incolæ, vtpote tutissimas ad exturbandum, siue assumtum venenum, siue cacochymicam saburram, circa præcordia hærentem. Præ ceteris autem reuulsionis gratia exhibentur, contra fluxus ventris, nimium in Indiis familiares. Pluribus encomiis hanc eximiam panaceam extollerem; sed vereor, ne Satyricus quispiam id de mea Ipecacuanha, quod tempore Catonis de brassica nimium laudata dixit; Brassica dia Catonis. Hactenus ille.

Secutus eundem fuit coætaneus *Georg. Marcgrauius Hist. Plantar. libr. 1. c. 9. p. 17.* laudandus itidem in sequentibus. Hinc vero per plures annos veluti latuit incognita. Sicuti vero virtus semel emicans latere nescit; ita per

vi-

vicinos Luſitanos, per curioſos Belgas, & ſi non medicos, tamen alios quoque rerum gnaros, in lucem miſſa eſt denuo, quandoquidem circa annum M DC LXXXIV. circiter a ſeplaſiariis horum curam gerentibus, & curioſitati aliorum ſatisfacturis, ſpeciatim vni alterique medicorum mittebatur, cum adiuncta ſchedula huius commatis:

Radix auri vil bequenli iſt eine rare Wurtzel/ſo aus noua Spania per Cadix und Sicilien gebracht wird/und allda in groſſen æſtim: wird für unterſchiedliche Kranckheiten gebraucht/inſonderheit ein excellent und approbirtes Mittel für die rothe Ruhr/ oder dyſenteriam; wird gemeiniglich gebraucht des Morgens/und iſt deren Würckung daß es macht vomiren und treibet den Urin. Für eine ſtarcke Perſohn pulveriſiret eine drachma, ſo aber der Patiente ſchwacher Natur / eine halbe drachma; Kindern nach advenant weniger; und iſt der Gebrauch in Spanien folgender:

℞. *rad. auri vil bequenli pulu.* ʒj.
gran. maſtich. pulu. ℈j.
▽. *portulac.* ℥iij.
M. F. potus pro dyſenteria.

Huius proinde *D. Præſes* in Diſſertatione quadam de Dyſenteria Anno M DC LXXXVII. habita, paucis his mentionem fecit, reſeruatis, quæ vlterius dicenda fuerunt, in præſens. Cum enim ad experimenta capienda ſufficienti quantitate, (verba ſunt Diſſertationis iſtius,) tunc temporis nondum ſuppeteret, neque occaſio ipſa quotannis ſe offerat dyſenteriam curandi, illius ſaltim tunc meminiſſe ſuffecit.

Ceterum, quod ad nomen hoc, quo in MSto illo ſigni-

ſignificabatur, attinet, eodem ſine dubio iure radix *auri* vocata eſt, quo Gallis adhuc hodie *mine d'or* audit, eo quod præcipue ſuper auri mineras, non tamen niſi diffuſiſſima raritate diſperſa, creſcere deprehendatur, (ita olim putabatur,) vt vix duodecim eiusdem per anni totius ſpatium conquirendis libris ſufficiat collectioni maxima ſedulitate intentus; vel potius ob virtutes auro contra æſtimandas.

Quid vero voces *vil bequenli* ſibi velint, explicare arduum fuit primitus; nunc vero facilius longe ex legibus criticis, poſt, quam hactenus innotuit, Luſitanis illam audire *Bequiuli*. Cum enim id ſcriptum non eſſet æque a medico, vel deſcriptum potius, vix dubitandum videtur, legendum fuiſſe, & ſic emendandum: radix *auri, vel bequiuli*, ſiquidem particula *vel* facile ob literarum minus gnari ſcriptoris incuriam in *vil* transmutari potuit, vti pro ignoto ſimiliter, *bequiuli*, exprimi & ſcribi *bequenli*. Vt adeo lectio hæc genuina haberi poſſit iam & reſtituta.

Memorandum hic reſtat aliud adhuc nomen, ſub quo Hiſpanis venit hæc radix, *Cipo* vel *Sipo de Cameras*, quo talis innuitur radix, quæ fluxum coërcet, prout ex ſcito cuiusdam linguarum peritiſſimi id comperimus. Ita vero ſcribit ille: Le mot espagnol *Sipo* veut dire les entraues, que l'on met aux priſonniers, ou *ſpeciem vinculi*, & Cameras déuoyement ou *fluxum*, de ſorte, que ſi c'eſt vne herbe, vne racine, ou vne plante, il faut neceſſairement, qu'elle ait vne qualité aſtringente. Hactenus ille, cuius ſane explicatio egregie huc quadrat.

Neque abludit ab hoc, ſed confirmat potius, ſi putemus vocem hanc Hiſpanicam *ſipo* idem notare ac in Italica *ſiepa* vel *ſiepe*, quæ ſepem Latinis denotat, Germanice

B einen

einen Zaun/ Gehäge/ qua via elabendi præcluditur. Possumus enim inde manifesto metaphoram colligere, vt denotetur hoc ipso remora quæcunque, & hoc loco alui fluxus.

Ab illo tempore siluere iterum eius encomia, donec in Gallia increbescerent egregia occasione, quando ibidem a mercatore Gallo, *Grenier* dicto, ex Hispania Lutetias Parisiorum centum & quinquaginta libræ radicum harum allatæ fuerunt, diuisa cum medico *Hadriano Heluetio* commendandi & adhibendi illam gloria, inter quos postmodum dissidium intercessit de lucro inde hausto. De hoc legi meretur summi viri *Gudefridi Guilielmi Leibnitii Relatio ad inclytam Societatem Leopoldinam Naturæ curiosorum de nouo antidysenterico Americano*, magnis successibus comprobato, editioni secundæ Martini Listeri sex exercit. medicinal. appensa, M DC XCVI.

Inde vero vbertim de eadem scripsit *Pometus, Histoire de Drogues part. 1. l. 2. c. 1. p. 45.* & in *appendice*. Seorsim vero quoque Nobiliss. D. *Valentini* tum in peculiari erudita dissertatione, tum in *Museo Museorum lib. II. sect. 2. cap. 1. pag. 147.* de ea optime egit. Quin & ad genus plantarum certum relata, & apud *Raium Historiæ Plantar. Tom. I. l. 13. c. 17. p. 669.* & *Tom. III. l. 12. p. 350.* illustrata est. Nihil ergo iam restat, quam vt communi senatus consulto officinalibus aliis plantis iungatur, vti id primus, quantum constat, fecit *Ludovic. Penicher*, Pharmacopœorum Parisiensium præfectus, in *Collectan. pharmaceuticis* 1695. editis, vbi *class. I. p. 9.* in materia medica Ipecacuanha radix memoratur.

Patriam quod attinet, quotquot de illa primitus scripsere,

pſere, eandem ipſi aſſignant Braſiliam, florentiſſimam Americæ ſeptentrionalis regionem, terram diuitiarum pariter ac omnis generis plantarum, tam medicamentoſa qualitate ſalutarium, quam formæ ſolum elegantia & raritate æſtimandarum, fertiliſſimam. Vnicum exempli loco ſit, in mechanicorum operariorum commoda vtiliſſimum, pro tingendis eleganti rubedine rebus, lignum Braſilienſe, officinis quoque noſtris familiare. Illic ad fluuium (ſi *Pometi* effato credamus,) Rio de Genecyro Hiſpanis dictum primario naſci viſitur, licet ſpecialis ille locus non abſolute Ipecacuanhæ proprius prædicari poſſit, cum differentes inter ſe ſpecies diuerſum quoque natale ſolum ſibi vendicent. Braſilia interim ſeorſim patria eſt, quæ præclarum hunc benigne nobis largitur theſaurum, ſiquidem Belgarum cura & Luſitanorum, qui commerciorum iure radicem poſſident, facile ad lares noſtros poteſt pertingere.

Vtut vero primi inuentores fuerint Braſilienſes, non improbabile tamen eſt, eandem & aliis in prouinciis Americanis creſcere, vti ſane *Grenier* ex Peruuia afferri ſcribit. Idem de noua Hiſpania & forte aliis licet aſſerere quoque.

Prius, quam hinc progrediamur, & illud notabile eſt, velut remouenda a notione genuina æquiuocatione, Ipecacuanham aliam eſſe improprie, aliam proprie dictam. Enimuero, teſte *Piſone lib. 4. Hiſt. nat. & med. c. 53 p. 232.* Caa-apiæ quoque radix, eiusdem fere cum Ipecacuanha præſtantiæ & efficaciæ, Ipecacuanha abuſiue a quibusdam appellatur. Cuius vicem licet in vomitu ciendo, & alui profluuio compeſcendo, egregie ſuppleat; attamen cum nobis ſit incognita adhuc, καθ' ἄρσιν, ſatis

fuerit illam meminisse, & remouere tantisper, seu vt differentem iudicare, adeoque ab eadem Ipecacuanham distinguere, vt meretur.

Cumque in omni quasi materiæ medicæ selectu id requiratur, addendum & illud est, ad omne dubium & falsationem (succedanea, quid pro quo vocant, etiam a priori,) tollendam, a seplasiariis aliquando Ipecacuanham desiderantibus fuisse eius loco missam & substitutam, sub prætenso genuino nomine, falsam rem, serpentariam Virginianam, quam asarum Virginianum vocat *Pharmacopœia Londinensis.* Hæc vero cum toto cœlo differat, ceteroqui & suo loco medicamentum laude dignissimum, omnino nullatenus cum Ipecacuanha est confundenda, sed suo loco relinquenda.

Quandoquidem ergo de Ipecacuanha vera & proprie dicta vnice sit sermo, remotis reliquis, de huius speciebus & differentiis agendum venit porro, tanquam ordine genuino & naturali.

Primitus, auctore *Pisone*, duæ tantum species fuere nominatæ, distinctione a radice eiusque colore petita, *fusca*, ipsi secundo loco, & *alba* primo proposita, vtraque Brasiliæ Americanæ debita. Jure vero merito tertia addita est a *Pometo*, eaque primo loco, vtrisque dictis suo modo anteponenda, quas hinc eodem ordine recensere nobis integrum & concessum erit, non sine ratione congrua.

Enimuero de prima, si illius verbis vti licet (*Pisoni* ipsi indicta,) ita infit in appendice, tanquam posterioribus cogitationibus, verso Gallico idiomate in Latinum: Tres species Ipecacuanhæ asportantur ex America: *gri-*

sea,

sea; seu cinerea, *subnigricans*, & *alba*. Grisea venit ex Peru, & nos illam accipimus e Gadi. Hispani appellant Bexugillo, quod Galli pronunciant Becouguille.

Sed vti Pometus lucem fœnerat descriptioni Pisonis, ipseque suis præmissis: ita & ipsi commentarii vice quædam addi merentur, partim ex rei ipsius scrutinio, partim aliorum accessione. Occasionem huic præbet laudatum nomen radicis, seu herbæ in genere. Sane dum beguquella, specacuanha, cagosanga, beculo, beloculo, & fabuloso nomine, iam tacto, mine d' or ab ipsomet audire refertur, certi argumenti hoc præbet locum: Quæcunque plantæ pluribus gaudent nominibus, plures obtinuere amatores, curiosos, illas in vsum trahentes, vel minimum tractantes; vt celebritas vel inde emicet & pluralitas ipsa, seu diuersitas locorum, vbi vel crescit, vel exportatur aliorsum, vel vocatur in vsum.

Commode huc quadrat nomen Bexugillo. Nisi enim nos omnia fallunt, vel idem est hoc ipsum, vel diminutiuum a Bexugo dictum. Vbicunque vero & nominis, & rei, & loci, concurrit conformitas, quis dubitet de identitate, seu vnam eandemque esse hoc loco radicem purgantem, seu ἄνω, seu κάτω;

Audiatur *Carolus Clusius*, qui in *Nicol. Monardis simplic. medic. Hist. cap.* 51. quod est de mechoacanna *p. m.* 340. cum mentionem fecisset radicum Quimbayæ purgantium, subdit: Illis forsitan similes erunt, quas ad me Diepa mittebat doctissimus vir Godofredus le Brun, medicus Regius, *Bexugo del Peru* appellatione, quarum drachmam sumtam, purgandi vim habere scribebat; præferrique mechoacan & nucibus Indicis purgatiuis. Erant vero illa,

ſarmenta verius, quam radices, longa, æqualis fere vbique craſſitudinis, digitalis videlicet, nonnulla etiam minora, lenta & funiculorum ſiue atragenæ ſarmentorum inſtar nonnihil contorta, cortice cineritio obducta, valde neruoſa interne, lenti guſtus initio, deinde nonnihil acris & ſaliuam cientis, denique guttur & fauces vrentis, breuiter ad atragenæ ſarmenta proxime accedentia, vt quodammodo mihi perſuadeam, atragenes fuiſſe ſarmenta illis in locis naſcentis.

Hæc ſi vera ſunt, vti ſane videntur veriſſima, minimum iam ante centum & triginta annos etiam in Europam peruenit Ipecacuanhæ huius notitia, quæ denuo ſeu poſtliminio erexit caput, & a Gallo, *Pometo* inquam, rerum harum peritisſimo deſcripta eſt.

Speciatim ergo prima ſit hæc Bexugilla, *Ipecacuanha Peruuiana griſea Pometi*, vt ſic honori deſcriptoris huius cedat, & complete ac diſtinctius ſic ſtatim concipi queat, griſea illa, quæ cum bexugo Cluſii, ſi rem penitius æſtimemus, quamplurima habet communia. Huius radices, verbis *eiusdem*, paulo maiores crasſitiem habent, trium circiter linearum (murariorum.) Sunt illæ contortæ, corrugatæ per annulos, griſeæ, traiectæ in longitudine chorda, vel neruo pallidiori. Et chorda hæc inducta eſt cortice, crasſitie vnius lineæ, fragili, quando ſicca eſt, amara, reſinoſa, in quo virtus potior reperitur. Radices ordinarie venales ſunt crasſitie lineæ vnius & ſemis, ad duas vsque, & ſunt omnino optimæ.

Altera eſt *Ipecacuanha Braſilienſis fuſca Piſonis*, cuius iconem idem, vt & *Marcgrauius*, *Pometus*, & ſine dubio etiam *Petiuerius*, cuius ſummaria *Tomo III. Hiſt. Plantarum*

Raius

Raius recenſet, exhibent. Quoad herbam (verbis *Piſonis* & *Marcgrauii*,) eſt longitudinis ſemicubitalis, trinis vel quinis (ſex, ſeptem, octo,) foliis ornata. Gaudet locis opacis, & tantum in denſioribus reperitur nemoribus. Flores albi pentapetali. In ſummitate caulis baccas producit nigras, vel brunnas, ſed paucas, cum duobus granis duris flaueſcentibus. Radice, quæ potisſimum in cenſum venit, eſt tenui, tortuoſa, nodoſa, fuſci coloris, ſaporis ingrati, amari, calidi & acris. Maſticata enim ingratum paulo linguæ offert ſaporem, ſubamarum, terreſtrique ſtypticitate nauſeoſa mox deprehenditur, quem characterem acredine quadam ſalſa papillis impreſſa ſigillat. Inſignis tandem & mere ligneus per radicis longitudinem in medio excurrit neruus, qui facili negocio ſeparatur a corticis, in receſſu ſubreſinoſi, ſubſtantia rugoſa, multisque hinc circumcirca inſcriptis annulis ſulcata.

His notis electionis facile vtraque patere poteſt, & abſolute alterutra ſolum, & comparate, ſi geminæ radices, griſea & fuſca, oculis ſimul offerantur. Ita enim, præter ſigna communia, & propria diſtinctiua applicari posſunt. Prima eſt grosſior, griſea, incurua; altera ſubnigricans, vtraque nuda magis in rugoſitate ſua ſuperficiali, citra filamenta tenuia, ſeparatam.

Reperitur & bifurcata, inprimis griſea, quæ ipſam etiam reſpectiue eſt magis paulo æqualis, rugoſa magis fuſca altera. Mutata tamen paululum facie illam apparere credibile eſt, ſi quis recentem illam conſpicere & deguſtare poſſet, de qua *Marcgrauius* loqui videtur, vbi corticem radicis ruffam eſſe dicit inſtar tormentillæ, radicem vero interius albam, & in medio medullam habe-

re,

re, a qua reliqua substantia viridis detrahi possit, medullaque remoueri. Imo etiam, more ari & aliarum, sine dubio recentis sapor & amaricans & acris magis fuerit, qui apud nos in siccata est remissiori gradu.

Tertia est *Ipecacuanha alba*, de qua si Brasiliensem intelligamus, cum nondum nobis visa & explorata sit, vt ceteræ, non ita confidenter asserere prædicata & affectiones concessum est. Illam vero *Marcgrauius* plane subticet, *Piso* non nisi leuius tangit, quod sit radix crassa, filosa, albicans, Lusitanis Ipecacuanha blanca dicta, la blanche Gallis. Similis fertur omnino been albo, aut radici dictamni albi, ceteroqui non amara, nec annulis nodisque rugosa, vt species duæ reliquæ.

CAPVT II.

De charactere Ipecacuanhæ, & speciatim Germanica.

CVm iam, ad ductum historiæ & naturæ rei, species Ipecacuanhæ, in quantum innotuit, recensuerimus, proximum iam est, vt genus disquiramus, sub quo in ordine botanico contineri possit, ipsamque lustremus plantam secundum characterem suum, crescendi modum, aliaque huc spectantia.

Difficile hoc videtur prima fronte, imo arduum & impossibile, citra ocularem inspectionem curatiorem, imo & quod plures hodie innotuerint plantæ, quam vt cognitis generibus, a veteribus etiam iamdudum agnitis, subordi-

ordinari ament. Attamen ardua ſcrutinio huic, in gloriam maieſtatis diuinæ inſtituto, nulla eſt via, vnde id quoque audebimus pro virili.

Rectius præ aliis, intuitu baccarum in herba reperiundarum, ad claſſem herbarum bacciferarum Ipecacuanham collocat *Raius*, qui hinc *herbam paris polycoccam* illam appellat. Aſt ne ſic quidem videtur ſatisfieri per omnia plus vltra tendenti animo inquirenti. Enimuero & diuerſo foliorum poſitu & florum ſeminumque figuris differentibus, (quæ tamen coniuncta characterem, qui genus monſtrat, conſtituunt,) a nominata iam herba paris, vel ſolano quadrifolio baccifero C. B. aliquid recedit. Huius enim folia quaterna æquabili circulo caulem ſuum ſub flore ſolitario tetrapetalo amplectuntur, inque baccis, ceu ſeminalibus capſulis ſemina plura triangularia deprehenduntur, notante id curioſiſſimo *Volcamero in Flora Norib.* aliisque. Ipecacuanha vero (de fuſca illa ceu comuniſſima, omnibusque certiſſime nota, iam ſermo eſt præcipue, hanc enim pro norma, ad quam reliquarum quoque Ipecacuanhæ ſpecierum differentias ſpecificas diiudicemus, eligere neceſſe habemus,) lenticularis figuræ ſemina, ſecundum *Piſonem*, ſolum bina promit; floſculos plures ordine & numero indefinitos, vt & folia indiſcriminatim hinc inde petiolis ſuis propriis innixa, quorum ordinem & figuræ ſimilitudinem ad parietariæ folia accedere *Pometus* affirmat, de quo mox.

Nec maiori etiam iure ad *pyrethri*, quod ex vmbelliferorum familia eſt, vel *naſturtii*, quod ſecundum *Raium* ad plantas tetrapetalas ſiliculoſas pertinet, claſſem referri poſſe Ipecacuanha videtur. Et horum enim exoticorum

genus forsitan esse nasturtium visum fuit in principio etiam curatioribus naturæ ruspatoribus, prius, quam de eo constaret penitius. Videri meretur de hoc eruditissimus *D. Eman. König in Eph. N. C. Decur. II. Ann. X. obs. CXV. p. 211.*

Faciunt huc tum saporis quædam acrimonia diu perstans, vnde quamuis assumta aliquot sedes moueat instar rhabarbari, huic tamen similis non est, cum intus albicet & exterius strias habeat velut radix bistortæ; tum conclusio facta a posteriori, quia olim iam semen nasturtii remediis contra dysenteriam admistum fuit; imo etiamnum semen sophiæ Chirurgorum vulgo eo nomine non parum æstimatur. Sed nullo modo id vitio verti debet viris doctissimis in re dubia, quin laudandum potius est, & optandum, vt quilibet vel minimum adferat liberrimo voto, ad eruendam veritatem: ita enim vel καϑ' ἄρσιν vlterius licet progredi. Ceteroqui facile hodie claret, ad hoc genus Ipecacuanham minus quadrare, licet & flores nasturtii floribus sint quodammodo similes.

Ad *clematides* seu sarmentarias referre visi sunt, qui primitus sub Bexugo nomine illam comprehenderunt, quæ *C. Bauhino clematis Peruuiana* hinc audit, sed descripta sine examine. Vtut vero clematidi similis scribatur, sarmenta æmulans, & instar illorum nonnihil contorta, ipsaque clematis *Dioscoridi* quoad semen scribatur ἄγειν κάτω φλέγμα καὶ χολὴν, *purgare per aluum pituitam & bilem,* reliqua tamen non respondent. Ipecacuanhæ radix sarmentosa est & geniculata, hinc inde viticulas spargens, sed in radice, quæ contorta & flexuosa est, & sic simile non est idem, vnde nec reliqua applicari queunt. Adeoque hoc genus minus quadrat, nec legitimum esse vel assignari potest;

&ad

& ad ſarmentoſa hæc ſine dubio etiam ideo relatæ fuere, quod ſint, & fuſca & griſea ex parte, repentes, ex parte eleuatæ altitudine dimidii pedis, vt deſcribit *Pometus*.

Si ex foliis velimus characterem hinc dare, eximie approximantia ab eodem aſſignantur *parietariæ*, vt albæ *pulegio* non admodum diſſimilia a *Piſone* aſſeruntur; ſed & hæc eſt inſufficiens ratio. Notum iam ſatis eſt ex *Anazarbeo*, quantum abludant ſimilitudines ab accurata dignotione, & remotius ſaltim, qualiscunque conuenientia fuerit aſſignata, certi ſumus vel diuinando, vel conferendo. Pollet parietaria flore ſtamineo, non item Ipecacuanha, ne alia addamus, vnde fruſtra fuerit de eo cogitare.

Videri poſſet *Caa-apia* hujus locum ſuſtinere, cuius *Piſo* mentionem latius facit; verumenimuero non agnoſcit idem ipſe *Auctor* pro Ipecacuanha Caa-apiam, quam apertis & expreſſis verbis ab illa diſtinguit, tum in titulo, tum in textu, & ſeorſim iconem exhibet. Adde diuerſum omnino, quoad flores & quoad radicem, imo & folia & reliqua, aſſignari eidem genus; Ipecacuanham albam vere talem vocans, ſeu deſcribens, aſſerit Caa-apiam non niſi abuſiue quaſi a quibusdam ita appellari.

Neque vero vel *pulegii* vel *acetoſæ* rotundifoliæ memorata ſimilitudo quid certi inferunt, cum nulla figura eiusdem expreſſa legatur, fatente *Pometo*; adeoque reuera hactenus alto ſilentio inuoluta fuit.

Liceat nobis ex re philoſophari, vbi ex auctoribus non licet, & ſingulis ſic forte lucem fœnerari eximiam, ſi ſequamur naturam, ſi debitas regulas & receptam aſſignandi certa genera methodum debitam.

Liceat porro illud proximum & genuinum genus, ſub

quo militat Ipecacuanha, assignare, quod quoad potiora & pleraque, si non omnia, momenta symbolismi & conuenientiæ obtinet, folia puta, flores, radices, ipsumque semen, seu fructum. Hoc itaque dato & concesso, nullum aptius, rectiusque & magis genuinum putauerimus inueniri posse, quam in genere bacciferarum, in specie dentariarum.

Et sic iam ad tertiam speciem vna regredimur, Ipecacuanham albam, seu Brasiliensem illam, nondum vllibi, quod sciamus, depictam, seu Germanicam.

Vno verbo assigare non dubitamus, Ipecacuanham referri ad *dentarias* debere, tanquam ad genus symbolicum, conforme, genuinum & appropriatum, quocum si non vt ouum ouo, tamen aliis omnibus contra, conuenit eadem. Id vero ad sensum patebit, si reuocemus in memoriam & fidem huius rei, ipsa subsumenda symbolismi membra.

A *radice*, tanquam potiori, exorsis, nam hæc vna sola est exoptata & officinalis iam statuenda suo merito, & auctoritas seu consensus, & sensus ipse idem testatur. Ipecacuanhæ fuscæ, seu subnigricantis, *noirâtre*, radix, verbis *Pometi*, est *plus ridée & comme dentée*, magis rugosa, nodosa & velut dentata. Dentariæ ab ipsamet hac figura quasi mechanica nomen obtinuere.

Radix ergo vtriusque si non ad tuberosas strictius sumtas, tamen tuberoso-fibrosas referri meretur. Siquidem tubera notant inæqualitatem, eminentias, monticulos quosdam, adeoque videntur vltra rotundas, vel quasi, (neque enim omnia tubera sunt rotunda,) & bulbosis affines, de quibus integrum scripsit librum *P. Laurembergius*, etiam tuber-

tuberculosæ statuendæ, loquendo saltim conuenienter naturæ, & quidem in longitudine tales.

Variant vtrobique *folia* numero, figura vero non adeo dissident. *Folia* Ipecacuanhæ licet, si iconibus credimus, minus videantur in lateribus crenata, non tamen adeo abscedunt, quin etiam in illis manifesta quædam similitudo spectanda sit, seu numerum reputes, quinque enim, septem, nouem folia occurrunt, ad latus etiam caulibus nouis se exserentibus.

Nec flores, primarium gratissimumque plantarum decus, abludunt, siquidem, verbis *Morisonii*, ex medio radicis emergit caulis sustinens quaternos, quinos, flores tetrapetalos, leucoii aut hesperidis florum æmulos. Et hæc quasi clauis est, quare apud *Pometum* icon Ipecacuanhæ exhibet flores tetrapetalos, *Pisonis & Marcgrauii* pentapetalos, vtrumque enim occurrere nil impedit.

Instar omnium sunt *baccæ*, quæ iuncta radice omne absoluunt punctum in definiendo genere hoc & charactere. Si enim velut *fructus* hos spectemus, Ipecacuanha completo florescendi tempore in baccas brunnas, siue saturate laccæ coloris, vel, secundum *Pisonem*, prope nigras, cerasi sylueſtris magnitudine desinit. His deinde maturitatem adeptis ex fuscedine sua suauiter rubentibus, & ruptis pulpa iungitur succulenta cum duobus suis ad luteum vergentibus seminis granulis.

Hinc accurate admodum Ipecacuanhæ respondet inprimis *Dentaria baccifera Clusii*, heptaphyllos sobolifera Morisonio, baccifera heptaphyllos C.B. coralloides Cordo dicta. Præter semen enim ad singulorum fere foliorum, quæ caulem ambiunt, alas & exortum, tubercula quædam adnascun-

tur bulbulis lilii cruenti illius, quod martagon bulbiferum vulgo appellatur, haud absimilia, ac velut e squamis compacta, initio viridia, deinde rubra, ingrati admodum gustus, quæ facillime decutiuntur & præmature sponte decidunt, terraque sepulta nouellas plantas gignunt, quæ Clusii verba & *Morison* sua facit *Plant. Histor. Vniuers. p. 2. S. 3. c. 10.* quo siliquosæ tetrapetalæ bicapsulares tractantur, *p. 255.* Florere solet Aprili, bulbuli nigricantes Maio conspici solent, alarum cauis inter folia & caulem inhærentes.

Tacemus *semina* seorsim, quorum, præter baccas illas laudatas, nulla apud scriptores Ipecacuanhæ fit mentio, apud *Clusium* vero & *Morisonum* dentariæ vberior legi potest descriptio, vnde conferre hæc minus adhuc perfecte omnia licet; nec opus est inde arcessere, ibidem legenda latius.

Restat vt de *viribus* symbolicis quoque quidquam addamus. Enimuero, quæ genere & charactere conueniunt, vtplurimum vel saltim admodum verosimiliter etiam in viribus sortita visuntur quandam paritatem. Quamuis vero nondum licuerit frequentiora experimenta hac cum Germanica quoque specie facere; satis tamen fuerit in præsentiarum:

(1.) Illam esse innoxiam, & neutiquam aconitis accensendam, vti quidem *Cordus*, *Cæsalpinus* & *Lugdunenses* contendunt; (2.) Sapore etiam ex acri-amaricante conuenire cum Ipecacuanha; (3.) ipsis tamen primis auctoribus testibus longe benigniorem esse Ipecacuanham albam, adeoque & hanc nostram: ita quidem, vt & grauidis & infantibus tuto propinari queat. (4.) Data enim ad ℈ß. semel iterumque non mouit quidem vomitum, vt Brasiliensis illa, nec aluum æque laxauit, optime tamen in-

de

de habuere ægri, in posterum largiori dosi in vsum vocanda, ad experimenta salubria, vel saltim innoxia. In quodam ad gr. xii. datus puluillus altero die laxauit bis aluum, in aliis ad ℈i. datus minus idem operatus, ad ʒß. ʒi. datum præbium supplebit forte in posterum pleniorem vsus ἐξοχήν.

Confirmat vero (5.) hunc vsum quoque relatio fida *Clusii*: Austriæ, *inquit*, vicinarum regionum incolæ **weiß Sanickel**/ id est, Saniculam albam, rhizotomæ autem mulierculæ, quæ multas stirpes in Viennensi foro venales proponere solent, **Grimmwurtz**/ a facultatibus, quibus eam pollere putant, vocant, quod eius radicis decoctum pueris tormina patientibus propinatum vtile esse credant, vnde nomen ab illis plantæ inditum.

Quis vero nescit apud medicos, vel *Celso* teste, tormina notare καϑ' ἐξοχὴν dysenteriam, vnde & sorbus torminalis, & tormentilla (quam nomine Ipecacuanhæ quidam substituere non inutiliter quidem, sed diuerso operandi modo,) denominationem indepta sunt. Vnde ab vsu antidysenterico sine dubio dicta est, vel dici potest & hæc radix antidysenterica. Sed de his omnibus dabitur vlterior occasio experimenta faciendi, tum laxandi benigne gratia, tum torminum sedandorum, eodem alioue modo.

Hinc vero merito suo hæc ipsa Ipecacuanha Germanica celebranda & commendanda practicis venit, minimum problematice. Non enim, auctoritate *Coi in præcept. c. 2. t. 24.* graueris etiam παρὰ ἰδιωτέων ἱστορέειν, ἤν τι δοκέῃ ξυμφέρειν εἰς καιρὸν θεραπείης, *ab idiotis inquirere, si quid conferre visum fuerit ad curationis occasionem.* Siquidem & illi, quod turpe dictu est, si non inquirunt, saltim aliis docti-

ctioribus norunt aliquando rectius herbas. Nobis per dicta satis sit, hactenus prædicata de dentaria baccifera, εἰς ταῦτα συναυλιασθῆναι, & *in eadem consonantem conuenire*.

Hæc vero & apud nos, & alibi, in syluis montanis prouenit, & in hortos & vasa fictilia se patitur transferri, vti vere hoc iam se quinque foliis initialibus, hinc septem, conspicuam dedit, penitius quoque porro lustranda & obseruanda.

Tacemus, quod ex D. *Sherard* refert *Raius l. c. Tom. III. Hist. Plant. l. 12. p. 350.* Quartam etiam ipsi concessam fuisse speciem Ipecacoanhæ a Clariss. Tournefortio, e Portugallia delatam, quæ coloris est flauescentis, non geniculata, quæ species vomitum non mouet, sed per sedem solummodo purgat. De incognitis enim & occultis nec in medicis scholis datur iudicium, nisi dicamus in genere, similium eandem esse rationem, & in his quoque simile, etiam non raro esse in viribus dissimile.

CAPVT III.

De Ipecacuanhæ qualitatibus & viribus.

QVando *temperiem* mixtorum, & hoc loco Ipecacuanhæ, examinandam aggredimur, duo sine dubio sunt attendenda ac intelligenda; primo ipsa structura, mechanica, particulæ, seu principia mixti, ex quibus certa proportione inter se commensuratis constet; deinde ipsa qualitas inde resultans, respectu corporis humani, cuius vsui impendendum fuerit medicamentum, tanquam alterans vtile.

Quod

Quod ſi hinc media cognoſcendi impendamus & applicemus, potiſſimo argumento deſumto ex ſapore acri-amaro-terreo, non difficulter a priori quoque elucet, eſſe radicem hanc mirabilem calidam & ſiccam, idque ſecundo gradu, manſione prima. Vix dubitandum eſt, recentem radicem, more aliarum ſimilium, eſſe magis acrem, quod & auctores notati ſcribunt; ſi tamen qualem inueniamus, talem iudicemus, non aliter poſſumus definire effatum.

Confirmant idem hoc diſponentes particulæ ſalino-ſulphureæ acido volatili, in ſubdominio licet, combinatæ, vnde color in eſſentia viſendus, lenis reſinoſitas, odor vero nullus quaſi offertur ſenſibus, cum terreis reliquis, ipſisque aqueis concretis.

In *qualitatibus ſecundis* ob tenuitatem actiuarum particularum primario vis attenuandi, incidendi, aperiendi, reſoluendi, reſultat; adæquate vero & ſecundario roborandi, & tonica virtus; quæ omnia effectu ſigillantur & confirmantur conformi.

In *tertiis* vis χυτικὴ, *fuſoria, diuretica*, & ſuo modo *diaphoretica* communis & remotior, ſpeciatim vero ab effectu comprobata, imo a poſteriori ſic magis cognita, velut ſpecifica & ſingularis καθαρτικὴ, *purgans* emicat, & κατ' ἐξοχὴν *emetica*, ſeu *vomitoria*, præcellit. Neque hæc ipſa contradictionem quandam inferunt, purgans eſſe & roborans, emeticum & diureticum vel diaphoreticum, ſi cogitemus diuerſo reſpectu, diuerſo præparandi & recipiendi modo & ratione, hæc contingere etiam in aliis. Quis negat in rhabarbaro, ob diuerſitatem miſcibilium particularum, idem viſi, laxare id κάτω, & adſtrictionem poſt ſe relinquere? Ne dicamus id, per accidens licet, edu-

cta humiditate, fieri etiam ab aliis minus tonicis. Quis ignorat antimoniatis ſingula illa adſcribi, licet eminentiori gradu?

Aſt, cum propter quod vnumquodque eſt tale, illud magis ſit tale, (liceat illum canonem alio paulo ſenſu huc referre,) cum emetica virtute vnice & potiſſimum, & hinc ſingulariter & ſeorſim *antidyſenterica* excellat, deprædicetur & expetatur in vſum Ipecacuanha, merito de ratione agendi hac & viribus ipſis ſeſe exerentibus ſeorſim agendum venit.

In omnibus emeticis eſſe aliquam *acrimoniam irritatiuam*, iam dudum agnouit *Pergamenus*, etiamſi non æque ori explicitam & manifeſtam, ſed occultam ſenſibus & latentem quoque ab extra. Hæc ſola vero non rem exhauſerit, quam plurima enim acria, imo & maiori longe gradu talia, non ſunt emetica.

Conſultum hinc fuerit, hanc acrimoniam exponere porro *fermentatiuam*, quæ motum inteſtinum cieat & fœneretur humoribus, lymphæ & acido ventriculi, & cumprimis ipſi hinc bili quoque conſecutiue, coniunctæ cum ſtimulo archei motum exuſcitante. Illam vero porro nominare ex ſenſu & experimentis chimico-mechanicis fas eſt *ſalino-ſulphuream*, quæ & motum inteſtinum inferat humoribus laudatis, a quibus & reſoluitur & actuatur ſic illud principium, vt motum localem fibris nerueis motricibus delicatis ventriculi cieat.

Addendum vero quoque, acrimoniam hanc ſalino-ſulphuream fermentatiuam eſſe, reſpectu & relatione ad purgantia *καθαρτικὰ*, ſeu quæ per aluum euacuant, *ὑπήλατα*, *volatilem magis*, vt in his fixior deprehenditur, in mediis

media.

media. Siue iam hæc domeſtica ſit volatilitas, & connata quaſi, ſiue acquiſita, à diuerſitate lymphæ, acidi, bilis in corpore. Et hæc ratio eſt, quare & per ſe purgantia, non emetica, tamen non tam κάτω per aluum, quam ἄνω per os ſuperius operentur, & vice verſa.

Quicquid horum ſit, fatendum tamen eſt, aut materialis huius mechanicæ talem tantamque eſſe ſubtilitatem, vt etiam per analyſin, per intellectus apicem, non minus ac per ignem ipſum, a priori id impellens, illa forma lateat, nec agnoſci, vel erui poſſit, niſi valde admodum remote; aut principium potius internum ponendum, formam vocant, formam ſubſtantialem, vel ideam formalem, formamue idealem, vtcunque nominaueris, quæ dictis illis particulis ſpecifice præeſt, eaque taliter combinata & proportionata, noſcenda nihilominus & ſcrutanda, dirigit, vt ſic agant, niſi quid obſtiterit.

Illa vero volatilitas non vno ſale volatili vrinoſo abſoluitur, quale quidem in aſaro & quibusdam aliis videtur apparere, vbi aromaticum quid redolet, ſed impurum tamen & in effectu nauſeabundum; ſed acido quoque, quale in vitriolo, imo & ſubtilius concretum in antimoniatis viſitur & ſtatuendum vel ponendum. Sane in Ipecacuanha tale quid vrinoſum per ἐγχείρησιν chimicam non elicitur, vnde & acrimonia & effectus eiusdem longe minutioribus ſeu punctis, ſeu atomis, metienda fuerit.

Hoc tamen ſingulare habet eadem, quod & delicatior longe ſit, ac naturæ corporis minus aduerſa, quam alia vlla in ſapore æque ac effectu, & immerſa intimius particulis terreis, vnde emergit quidem ſtimulus, ſed benignior.

Sed tantum abest, vt robur toni infringat, vt potius idem confirmet fibris, & afferat.

Ratum itaque hoc est, Ipecacuanham esse emeticum (1.) *mite, blandum & benignum*, quod citra maiorem violentiam officium facit, ventriculo illatum, nec eidem, nec corpori reliquo struit insidias, vel exagitando fortius, vel mouendo, non promouendo, modo non excedatur dosi; mite in assumendo, mite in operando. Minimum nullum est vegetabile, quod cum hac contendere nouerit.

Est (2.) emeticum *classicum*, omni iure, omni merito, & experimentis quamplurimis comprobatum, aliis primo loco iungendum, adeoque communi consensu pro officinali, (ita vero vocant illam dignitatem consecuta,) habendum, proclamandum, reponendum & applicandum, seu in vsum vocandum.

Est (3.) emeticum *cito, tuto & iucunde operans*, adeoque gratum & acceptum. Si vllibi, sane in vomitoriis illa requisita sunt cordi habenda, vt sint actiua quidem, vt sint iucunda, sed maxime omnium vt tuta, quibus fidere possis in operatione, & in effectu eiusdem. Gratum hinc merito, quod & infantibus porrigi potest, & alias delicatis, longe maxime vero vsu salutari.

Est (4.) emeticum *roborans*. Plurimum & in alterantibus, aperientibus præsertim, positum est roboris & dignitatis, si simul sint tonica, leni stypticitate se hinc vna commendantia, qualia sunt amara, martialia, aliaque etiam e purgantibus tacta. Id vero eximium pondus addit reliquis prædicatis, quod communem cum aliis possideat operandi efficaciam, singularem vero in roborando. Non atterit vires, non accersit tormina, vel lipothymias.

Est

Eſt denique (5.) emeticum *præcipuum* & *polychreſtum.* Efficitur hoc ex aſſertis antecedentibus, iudicatum ex generoſis effectibus omnibusque & ſingulis aliis, vt ſi electio detur ex lenioribus, ipſisque mediis, medio vero tutiſſimus ibis, præcipuum, ſi non primarium locum ſibi vendicet, idque citra vllam hyperbolen. Polychreſtum eſt & communi titulo, qualem tuentur ex vniuerſalibus vomitoria, in genere; quis enim hoc negauerit in morbis grauiſſimis, rebellibus, variis aliis, tanquam indicata, colophonis vicem gerentia, generoſa & heroica, ſatisfacientia indicationibus concinne erutis ab artifice morborum?

Eſt itaque emeticum laudatis notis conſpicuum, ſic tamen, vt ordinarie hinc per τὰ ἄνω operetur, extraordinarie vero, vel quaſi, ob ſymboliſmum euacuationis huius infimi ventris, etiam aliquando vel ſolum κάτω purget, vel ſimul per vtramque viam, quod cum aliis vomitoriis habet commune. Poſſidet vero & comitatas vires alias, de quibus itidem quædam ſunt addenda.

Sic ob virtutem aſſignatam, qua celebratur, conceſſam illam, nemo facile negauerit minores eandem exerere poſſe dotes, quæ velut ſubſtant purgantibus χυτικοῖς. Non immerito hinc tribuuntur etiam vires *abſterſiuæ*, σμηκτικαὶ, *ſaponariæ*, *aperientes* & *reſoluentes*, extricantes lentum & viſcidum ventriculi & inteſtinorum gluten, defecantes amurcam tartaream, hypochondriacam, reſerandi menſes reſtitantes, & quæ aliæ ex hoc fonte fluunt. Aſt omnes illæ ſub generali ac præcipuo illo vomendi argumento comprehendi poſſunt, tanquam ſecundariæ, vt vtiles tamen apprime ac ſelectæ & expetendæ.

Quod vero concernit *bezoardicas* atque alexipharma-

cas vires, vix aliæ illæ videntur adhuc dum probari posse, quam eodem communi censu ac nomine, siue excutienda ocyus venenosa assumta, vegetabilia vaporosa, viscida, spirituum turbatiuá, animalia fermentatiua humorum ac succorum vitalium, & mineralia, ipsaque præcipue arsenicalia, partium solidarum hostica damna, suis e loculis huc referenda; sive alius malignitatum fomes & minera, bilis ac lympha, harumque cacochymia exturbanda fuerit.

His in genere præmissis consultum erit in specie quoque visere affectus, quibus curandis, certis ac genuinis experimentis, probati vsus fuit deprehensa, vtilis, ac nobilitata. Instar omnium & primitus quasi Brasiliensium, vel Americanorum, latius vsu innotuit Europæis, tanquam singulare & specificum *antidysentericum*, a prima inuentione celebrata Ipecacuanha. Vnde operæ pretium fuerit confirmare id ipsum, non tantum auctoritate tot populorum, medicorum, & aliorum, qui per mutua commercia, huius etiam medicamenti accessione, adauxere medicam supellectilem; sed etiam ratione, & experientia, hisque positis tanquam directrice methodo medendi, seu legitimo vsu.

Non absonum est dysenteriæ curandæ impendere vomitoria. Sane obstare videtur, vt illud huc applicemus, quod tale additum tali reddat illud magis tale, & sic videri possint potius stimulo suo noxia, adeoque & Ipecacuanha minus pro arcano dysenterico habenda. Confirmari id potest præcepto *Coi l. de locis in hom. c. 45.* vbi, cum ageret de hypercatharsi, inter alia addit *t. 3.* Φάρμακον δὲ μήτ' ινηθμῶν, μήτ' ἐμετήριον, *medicamentum autem neque euacuans,*

euacuans, neque vomitorium sumat. Quid vero est dysenteria, nisi hypecatharsis quædam spontanea?

Ast his aliisque non obstantibus est suus vomitoriis locus in dysenteria. Notanter hanc in rem idem *diuinus senex lib. 1. de morb. c. 6. t. 19.* Διαῤῥοίῃ, *inquit*, ἐχομένῳ ἰσχυρῇ ὁ ἔμετος γενόμενος ἀγαθόν. *Diarrhœa forti correpto vomitus fiens bonum.* Quid vero est dysenteria, nisi diarrhœa fortis? Quæ generi conueniunt, eadem & speciei. Natura imitanda est & in hoc commode, sed prudenter.

Sique longas diarrhœas vomitus ἀπὸ ταυτομάτου ἐπιγενόμενος, *sponte superueniens 6. aphor. 15.* soluit, cur non graui eidem, a repletione oriundæ, profuerit? Non tamen empirice in his procedendum est, sed iuxta genuinum curandi Palladium, medendi methodum.

Hinc in dysenteria seorsim, vt alias quoque, opus est distinctione. Quandocumque prægres sisunt errores diætæ, vt maxime in castris, & vbi præsumtio hæc præsto est, commode sæpe datur emeticum. In vsum hinc tracta fuere etiam alia communia, ipseque tartarus emeticus aliquando, non sine successu.

Quando ergo adest repletio, seu saburra cacochymica in primis viis hæret & coniuncta est, eaque ὀργασμώδης, adeo vt exitum affectet, etiam sursum, imo etiam non raro ab adstringentibus fiat anxietas & reiectio per vomitum, emeticis locus est, quale exemplum & *Dec. II. An. II. Eph. German. obs. 168.* notatum videri potest.

Quando item vires consentiunt, naturæ adest, vel saltim non prohibet atque abnuit, inclinatio, morbus est in principio, non solum concedi possunt emetica, sed

ſed etiam ſæpenumero indicantur. Leguntur quidem exempla quoque, vbi producto morbo data Ipecacuanha profuit, reſpectiue vero magis conducit in principio.

Diſtinguenda ſunt ipſa vomitoria inter ſe. Moderata & adſtrictionem poſt ſe relinquentia, aliis ſine dubio in dyſenteria præferenda. Neque enim aſarina, vel vitriolata acriora, æque locum habent, vel ipſa antimoniata promiſcue, quibus omnino cautius ibi eſt vtendum. Adeoque reliquis omnibus in talibus caſibus præferenda eſt radix Ipecacuanhæ, aſſignatis ſuis titulis examuſſim ſatisfaciens.

Inde enim ſaburra illa, biliosa, acido-acri, ſeu materia abundante educta, morbus hinc facilius abigitur & perdomatur, quam ceteroqui, ſi absque hoc foret, vix generoſa alia emendauerint, nedum adſtringentia. Adeo & quantitas & qualitas humoris peccantis attendenda ac corrigenda, vt motus eiusdem cicuretur & ad moderamen redeat.

Ceterum malignitate & acrimonia minori tutius dantur emetica etiam in dyſenteria. Maiori vero eadem ac prædominante, vel omittenda penitus, vel cautius longe propinanda. Viſus enim fuit, verbi gratia, & vomitus cruentus ſymptomaticus in dyſenteria, vbi abſurdum id fuerit ſuadere.

Cumque obſeruatum ſit, etiam a purgante repetito, remota & euacuata iam abundante cacochymia, non amplius purgatum corpus, ſed ſubſtitiſſe medicamenti operationem, inde forte factum fuit, quod & Ipecacuanha iterata vice propinata fuerit. Et legentibus elogia illa videri poſſet vna ſola ſufficere. Aſt cum indicata non debeant vltra indicationis ſphæram prouehi, ipſa vero Ipecacuanha

pri-

primario euacuandi fine propinetur, secundario pro roborandi scopo & adstringendi, non sunt hæ indicationes inter se confundendæ.

Addendum itaque instar regulæ videtur: non promiscue in dysenteria, nec continue & sola danda est Ipecacuanha. Satis est gloriæ, quod ad curationem morbi longe grauissimi insigne fœneratur momentum ac fundamentum. ὁ γὰρ ἔμετος τὸν ἐμετὸν παύει. *Vomitus enim euacuationem sedat*, verbis *Coi*. Adeoque ratum est, vt *l. de insomn.* loquitur *c. 12. t. 13.* etiam ἐμέτοισιν ἀντισπαστέον, *vomitibus reuellendum esse*, & reuelli posse malum in dysenteria, quod tam strenue præstat Ipecacuanha, vsitatissimum illud remedium, causam fouentem reuulsione per vomitum tollendo.

Ast si quis plus vltra extendere sustineat vires eiusdem, & reliqua omnia insuper habere, plus quam empirice a via regia methodi medendi aberrauerit. Ipse *Cous* hæc quasi præuidens *l. c. de locis in hom.* addit: ἢν δὲ ἀσθενὴς ᾖ ὁ ταῦτα πάσχων, ὑπνοῦ φάρμακον ἐμετήσαντι διδόναι. *Sin debilis fuerit, qui hæc patitur, a vomitu somnificum medicamentum dato;* claris verbis innuens, esse etiam anodynorum & opiatorum suum vsum, neque datum emeticum omne absoluere æque punctum.

Quid? quod ipsi Brasilienses barbari, si quidem hoc casu ita dicendi, sapienter ita statuunt, hac enim necessitate ita exigente, loquimur cum *Pisone l. 2. hist. nat. c. 12. p. 40.* venam tundere haud consultum habent. Porro vel solo rheo vel laxatiuo quouis benignissimo mordacem humorem prouocasse, partisque affectæ cruciatus ingeminasse, suspicione plenum habetur. *Si quando tamen euacuationi locus*, radicem vomitiuam Ipecacuanhæ, exquisitissimum

ſimum naturæ munus, ceteris remediis præferre conducit: quamuis ingenue fatear, plurimos medicaſtros incolas *ad ſudorifera & cordialia*, quam ad euacuantia per aluum, benigniora licet, inclinare. Hactenus ille, vbi & plura habentur.

Conferri meretur *Bontius*, qui *l. 2. meth. med. c. 3.* latius de dyſenteria, horribili illo & conſuetiſſimo Indiis malo, agit, vbi, præter alia huc facientia, ad extractum croci indici, id eſt, Curcumæ, (ſeu laudanum opiatum, quod *cap. 4.* deſcribit,) tanquam ad ſacram anchoram, vt vocat *l. 4. c. 4.*, confugit, quo remedio nullum humana cura exquiſitius excogitare potuerit, veriſſimum huius morbi, ſæpe etiam venenati, antidotum. Nimirum non vna ſeruandæ naui periclitanti in mari ſufficit anchora, ſed pluribus opus eſt.

Cum itaque ad dyſenteriam primario fuerit commendata Ipecacuanha, idem, vna fidelia quaſi duos dealbando parietes, intelligi poterit de alui fluxibus aliis, vbi quidem fluxus fluxu curari amat. Hinc de diarrhœa, lienteria, cœliaca, fluxu hepatico, idem dictum eſto, mutatis mutandis, præſenti materiali obiecto, quo exturbato felicius & facilius cura reliqua abſolui poteſt. Inſtar omnium vero eſt dyſenteria.

Obſeruatum ſuperiori æſtate in praxi in quamplurimis fuit, facilius & felicius curatos hinc euaſiſſe, quibus Ipecacuanha fuit propinata. Vt aliquot ſaltim exempla addamus: Fœmina triginta annorum, tenerior, cum dyſenteriæ initium, tormina & teneſmum pateretur, ad ℈ß adhibita Ipecacuanha, ter cum εὐφορίᾳ vomuit, curata hinc reliquo materiæ medicæ congruæ apparatu.

Puer

Puer duorum cum ſemiſſe annorum, poſt, quam ſub initium morbi ſex ſedes expertus eſſet, tres ſimplices, tres cruentas, cum torminibus, a dato Ipecacuanhæ ad grana quinque puluillo indormit, hinc bis vomuit, & remiſere ſedes, theriacalibus aliisque hinc plenarie reſtitutus.

Viro triginta duorum annorum, itidem iam mali initium experto, data eadem ita reſtrinxit idem, vt remitterent ſedes, nec in neruum erumperet dyſenteria, (quæ nempe tunc temporis graſſabatur, vnde experimenta ſufficientia fieri potuere,) ſed facile cederet.

Iuuenis 23. annorum, cum eodem tempore per biduum alui fluxu correptus eſſet, ab Ipecacuanhæ vnius vſu nauſeauit quidem, non vomuit, ſed loco eius fortior ſedes ſecuta vna vel altera, & poſtmodum ſubſtitit, ſubiuncto ſpecifico theriacali, ſtatim penitus morbus. In aliis ſemel ſaltim, in aliis bis ter moti vomitus, cum ſucceſſu.

Alius iuuenis 28. annorum, cum torminibus & alui fluxu turbaretur, data Ipecacuanha, nauſeauit, non vomuit vero, ſed ſudorem inde blandum obtinuit, cum leuamine inſigni, & paucis diebus conualuit. Vir XLIII. annorum dyſentericus eadem præmiſſa breui liberatus eſt, id quod & aliis obtigit, pauci vero admodum, quibus hoc remedium porrectum fuit, nec negligentiores fuere, obiere.

Idem in fœmina 46. annorum, in iuuene 16. alio 18. annos nato, & multis aliis vere dyſentericis, non ſine notabili ſucceſſu, compertum fuit, vt de illo nullum amplius apud nos ſit dubium, non minus ac alios, qui idem deprehenderunt vſu celebratum eoque frequen-

 tiori.

tiori. Vnicum eo nomine laudamus celeberrimum D. *Gothofr. Heldium*, Consiliarium & Archiatrum Baruthinum, qui, præter alios casus, vel trecentis militibus in castris cum successu eam dedit, subiungendo hinc theriacalia & bezoardica.

Memorari hic potest, rariorem quidem esse dysenteriam vernalem, rubram & albam, visum tamen fuit & in hac profuisse radicem antidysentericam. Fœmina 30. annorum Mense Aprili hac laborans iam per aliquot dies, sumpto ℈ß. puluilli semel, sed fortius, vomuit, inde leuata apprime, felicius operantibus mox aliis congruis curata.

Non possumus non hoc loco & illud attingere, saltim illustrationis & obiecti materialis ergo, pro memoria etiam & symbolismo confirmando, quod Ipecacuanha Brasiliensis inprimis, quam maxime in experimentum duximus, signaturam quandam annulis suis, ipsaque sua tortuositate illa, referat & obtineat intestini cellulosi.

Hinc vero non tam analogismo aliquo, quam communi ratiocinandi & experimentandi vsu, facile patentissima virtus & effectus emicat Ipecacuanhæ in morbis quamplurimis aliis, & tantum non omnibus; vbi indicationes vomendi præsto sunt. Idque tanto magis, quanto benignius, tutum & innoxium magis, est emeticum, & sigillat relicto toni robore viscera, quæ in motum citat.

Constat, non tantum in Belgio celebrari hunc Ipecacuanhæ vsum, in curatione febrium seu interpolatarum, seu continuarum earumque malignarum. Non suffuratur, vt id repetamus, vires, vel depauperat, sed conseruat & liberat, vnaque sic mineram depurgat, ne peius aliquod inconueniens timendum sit. Iuuenis 24 annorum

a potu

a potu vini Hiſpanici calore præternaturali, dolore præcordiorum, capitis & dorſi, cum ſiti correptus, exhibita doſi Ipecacuanhæ mox leuatus optime habebat.

Quantum hinc in affectibus capitis poſſit, in vertigine, epilepſia, melancholia, apoplexia primi & ſecundi gradus, affectibus ſoporoſis, & ſimilibus, vix opus eſt, niſi communi applauſu aliorum emeticorum confirmare. Nuper admodum vir 30. annorum, cum ex epilepſia in maniacum furorem incidiſſet, ab Ipecacuanhæ ℈i. ter vomuit ſeroſa & viridia, ſubſequo nocte illa ſomno hactenus deficiente; hinc intra quatuordecim dies, ſubiunctis aliis reſtitutus.

Cumque tam benigne agat, in quibusdam etiam pectoris affectibus non fuerit incongrua; pulmonibus non exulceratis. Quidam literatus, cum tempore hyemali largius ſe inuitaſſet vino, indeque pleuriticus ſtatus immineret, cum febri valida, tuſſi ſicca, dolore thoracis & circa præcordia, aſſumta Ipecacuanha bis vomuit, & ſex, ſeptem ſedes habuit, eo cum effectu, vt thorax in reſpirando minus doleret, tuſſis expeditius flueret, cum expectoratione debita, vt cum ſanitate brevi rediret in gratiam.

Aſt in morbis præcordialibus, a ventriculi repletione oriundis, nullo contra indicante notabili præſente, omne abſoluit punctum eadem, ἀπὸ τοῦ κοινοῦ, ſeu communi iuuandi præſidio. Vnicum etiam hic nobis ſuffecerit exemplum.

Fœmina quædam 40. annorum comederat ſub cœna pedes bubulos coctos, mane altero nauſeat, caligant oculi, inſtat ἔκλυσις. Data Ipecacuanha reuomit bina vice ingeſta, & ſeroſa, cum præſentanea liberatione.

Quidam reuerendus Senex, ſexagenario maior, anxietate præcordiali vaga laborans, cum grauatiuo dolore, ad humeros, dorſum, pectus protenſo, maxime a meridie & circa lecti ingreſſum, cum laſſitudine, metu catarrhi ſuffocatiui, fruſtra adhibitis aliis, optime habuit ab Ipecacuanhæ vſu, ſubiunctis roborantibus, carminatiuis, neruinis, prius parum vel nihil iuuantibus, quam hoc vniuerſali remedio velut colophone addito.

Cumque non tam opus ſit noſtrum vel intentio, de vomitoriorum agere vſibus, quam inter illa ſeſſionem & votum, vt ita loqui liceat, fœnerari Ipecacuanhæ, non attinet hiſce immorari longius. Suffecerit enim oſtendiſſe, & certis probatiſſimis teſtimoniis id ſtabilire, prodeſſe illam non modo in dyſenteria, ſed & omni officio & fide in aliis longe lateque ſe exſerentibus indicantibus, additis encomiis debitis.

Vnum ſaltim vſum & in arthritide coronidis loco addemus. Fœmina quædam quinquagenaria arthriticis inſultibus bis ter impeti ſolita, grauibus illis & non facile cedentibus, cum, menſe Ianuario ad finem properante, eorundem repeterent veſtigia, cum aliquali nauſea, a datis granis XII. Ipecacuanhæ ſexies vomebat, citra comitatas ſedes, cum inſigni εὐφορίᾳ. Inde vero leuicule ſaltim dolores ſeſe exſerebant, breuiusque, vt ipſa, comparatione ad priorem ſtatum, per ἀνάμνησιν facta, huius medicamenti virtuti, poſt Deum O. M. acceptam referret ſanitatem exoptatam.

Neque in menſibus, vt promouendis, diuerſo reſpectu, ita & remorandis immodicis eſt inutilis, quo poſteriori nomine, in menſium puta fluxu immodico, commen-

dat

dat eandem Excell. D. *Iobrenius*, qui radicem Ipeucanhæ vocat, *differt. de morbis bibliis p. 6.*

Capvt IV.

De vsu & præparationibus Ipecacuanhæ.


Iribus exploratis, vt vſus, ſeu vtendi modus & ἐγχείρησις pateat, reliquum eſt, quædam adhuc addere. Spectat huc præparatio tum ſimplex, tum chimica, ipſaque compoſitio, & circa adhibitionem hinc notanda.

Enimuero ſunt quædam ſtatim ſua medicamenta, quæ, ſubtilius vt præparentur, vix opus habent; melioris tamen notionis ergo & illam ſubire merentur operam. Sane Ipecacuanhæ adhibitio ſimplex, ob benignitatem vtplurimum ſufficit, danda v. gr. in ſubſtantia, vt vocant medicorum filii, ſeu in puluere velut farinaceo, delicato, vel ſaltim non ingrato, & aſſumptu facili.

Quod ſi hinc per ſe propinare placeat, optimum id fuerit, cum nulla æque adſit qualitas correctione indigens, niſi acuere illam placeat additione vel emeticorum aliorum, vel appropriatorum, quod liberum relictum eſt dexteritati medici. Vt hinc ſatisfiat indicationibus comitatis, facile eſt v. gr. in affectibus ventriculi & præcordiorum addere olei ♌ti guttam vnam vel alteram aniſi, citri veri, in affectis neruis cinnabarina, ♎ ♉ii, in hyſterica paſſione fec. bryoniæ, bez. iouiale, & ſic porro.

Satis eſt hinc aſſeruare radicem in puluerem redactam,

ctam, in vſum extemporaneum, miſcendum varie & impendendum, per ſe & cum aliis. Et optimum quidem fuerit partem præcipuam extimam, a media lignoſa ſubſtantia, magis cohærente, ſeparatam, in puluerem redigere; ſin rudius id præſtetur, nec illud adeo erit ſollicite opus, vel fruſtraneum.

Vt præbium delibemus, obſeruatum fuit, apud nos a ℈ß. gr. xii. granis xv. ad ℈i. & ʒß. tuto dari poſſe, radicem pulueriſatam in ſubſtantia, pro diuerſitate ſubiectorum. Nec infantibus ipſis ad gr. i. vel ii. ſeu pro expurgando meconio, ſeu infarctu ſeroſæ mucilaginis, vnde motus conuulſiui, tormina, aliaque ſymptomata exoriuntur, educendo, inutiliter propinatur.

Apud alios populos ad ℈ii. ʒi. ſcribitur propinata doſis, forte quod ob climatis calorem & ſiccitatem maior etiam ſtimulus requiratur. Præſtat tamen inprimis in hiſce talibus ſubſiſtere infra ſummam doſin; medio tutiſſimus ibis, diſtinguendo inter ſubiecta, iuxta generalem regulam euacuantium, temperamenta item communia & ſpecialia partium, ætatem, ipſosque morbos, quod hinc medicus peritus facile imitari pro re nata poteſt.

Quando vero cum aliis maritatur, vti optime loco iuuantis & ſtimuli additur & miſcetur purgantibus, facile patet, non niſi refracta & minori doſi iungi debere. Cum emeticis vero aliis, tartato emetico, ſale vitrioli, radice aſari, & aliis modo maiori, modo æquali, modo minori proportione recipi poteſt, vt ſubtripla, ſubdupla & ſic porro.

In decocto vel infuſo ſi adhibere placeat, nec illud erit

erit de nihilo, extracta sic solum parte subtiliori, relicta grossiori, tenera magis. Valet vero hic (1.) regula communis quoque & applicari potest, quæ in substantia dantur in simplo, in decoctis vel infusis in duplo recipienda; quod apud nos præsertim nondum ita copiose prostat, pretiosius extat. Liberum tamen idem est manetque, decoquendi cum aqua, infundendi cum vino & aliis.

Interim vero (2.) cum, præter vomitoriam virtutem, non parum æstimanda sit roborans & adstringens, illa vero magis in terrea resideat substantia, consultius videtur forma pulueris sicca eligenda, quam liquida; cum priori illud terreum videatur resorberi, & obtundi potius, quam sese exserere.

Neque tamen commode adeo, (vbi fluxus reuellendus est,) siue in decocto, siue in infuso adhibeatur, adstringentia iungere licuerit; sunt enim distincta illa vtraque. Saltim illa primario, hæc secundario præbio & vsu debent ita apparari, ne alterum alterum præpediat. Ita præstat Ipecacuanham præmittere, hinc theriacam, vel ex eadem confectum aliud subiungere, quam miscere vtraque. Idem & in vehiculis tenendum est, aqua enim menthæ, vel cinamomi cydoniata commodum est antidysentericum, roborans & stomachicum, minus vero quadrans euacuandi & reuellendi intentioni. In mastiche & reliquis cum aliqua latitudine id fuerit magis concessum.

Cumque aqueo sic pareat quoque menstruo, claret, non pure esse resinosam substantiam illam, sed particulis aliis distemperatam, seu gummi-resinosam, vnde accedente caloris extranei impulsu fit extractio quædam. Ast

longe elegantior habetur eadem, adeoque ESSENTIA, ſi lege artis adaptetur.

℞. rad. Ipecacuanhæ pulueriſatæ ℥iij. iiij. pro lubitu, affundatur ſpiritus vini rectificatus ad eminentiam aliquot digitorum, ſeu proportione ſextupla vel octupla, ſtent in digeſtione ad ſufficientem tincturam, ex rutilo flaueſcentem. Virtute pollet itidem emetica, ſed paulo diffuſa, ad gtt. xx. xxx. danda, ſi ita libuerit.

Sin largiori inprimis pondere illa extractio fuerit parata, licebit etiam obtinere EXTRACTVM, bolari vel pilulari forma, dandum ad gr. i. ii. iij. & amplius. Idem vero & cum menſtruo aqueo parauimus, compendioſius, lege artis decoquendo, colando vel decantando, & euaporando ad iuſtam conſiſtentiam. Tacemus variationes quamplurimas alias in puluere, varii coloris, & ſaporis, in bolo, facile quacunque conſerua addita formando; quæ omnia ex legibus combinationis & proportionis medicæ, quo ſuum cuique tribuatur, artis huius gnaro facillima ſunt.

Tacemus cautelas, quæ in vomitoriorum vſu ἀπὸ τοῦ κοινοῦ apud Practicos ex methodi medendi legibus cordi habendæ ſunt. Neque enim attinet illas ſeorſim Ipecacuanhæ aſſignare, quæ omnibus potius debentur. Imo aſſerere integrum fuerit, prohibitis vel quaſi, illis caſibus, emeticis hactenus cognitis noxiis futuris, ſaltim mitiorem & minus periculoſam reſpectiue hanc ipſam fore.

Ceterum ne quid intentatum deſiderari poſſit, operæ pretium erit meminiſſe quoque, quidnam examini

chi-

chimico expoſita Ipecacuanha exhibeat, videndum. Hic vero nec illud omittendum, ſed præmittendum potius, verum omnino eſſe, ignem non eſſe analyſtam abſolutum & completum ſeu perfectum, quin immutatas omnino vires ſeminales offerat, neque per omnia abſolutas, ſed bonam partem reſtrictas. Imo fruſtraneum plane fuerit, immediato tractandi modo, eoque violento, eadem eruere velle illibata, quæ ſibi relictis naturali miſcela, indeque oriunda temperie elementorum & principiorum conſtituentium, emicant actiua.

Satis eſt elementa & principia illa natiua communia, & ab aliis tamen etiam alioqui differentia, ſiſti ante oculos, ſaltim materialia, ſubtilioribus illis, formæ debitis, hoc cenſu latentibus, deſtructis, nec humano oculo ita obuiis.

℞. Radicis Ipecacuanhæ ℥iij. inditis tetortæ vitreæ accommodæ, appoſito debito recipiente, ex igne arenæ propellatur ſpiritus & phlegma. Prodiit hinc liquor coloratus obſcuriore paulo flauedine, ari ſpiritui ſimilis, & leuiter quoque acidulus, vt ſpiritus tartari, eiusdem quoque virtutis, adeo, vt, cum tantillo ſalis tartari in cochleari confuſus, efferueſcentiam lenem moliretur. Liquore martiali affuſo, in momento nigreſcit, vel magis atro-rubentem exhibet mixturam, occluſis poris lucidis expanſi vna ſulphuris, ab auſtero vitriolo martiali.

Vltimo loco oleum proceſſit empyreumaticum, inſtar olei tartari naribus exoſum, ſpiſſeſcens, & firmiter viæ, per quam ex retorta in cucurbitam abiit, adhærens, ſimulque deſtillationis huius actum ſigillans. Caput tandem

dem mortuum, præuia intimiori & perfecta calcinatione, elixiuiatum & ad cryſtalliſationem repoſitum, modicum quoque ſalis lixiui exhibet.

Pretium tandem laudari meretur, prout hactenus in vſu fuit, ℥ß enim XII. vel XVI. Groſſis Misnicis parabilis haberi poteſt. Et hæc de radice Ipecacuanhæ famoſa, nodoſa, emetica, dyſenterica & polychreſta hac vice dicta ſunto.

SOLI DEO GLORIA.


On ſatis eſt patriis terris arceſſere laudes,
ipſe etiam partes exterus orbis habet,
Scilicet arte æquis naturæ paſſibus itur,
vndique diuinas cernere nouit opes.
Hinc meritos ars & natura apportat honores,
quos pandit ſummos noſter Apollo Tibi.

Ita Nobiliſſ. Dn. Doctorando ſincero affectu applaudit

P R Æ S E S.

(2)

DISSERTATIO MEDICA INAVGVRALIS

De

IRIDE

QVAM

DIVINO SVB PRÆSIDIO
CONSENSV GRATIOSI
ORDINIS MEDICORVM
IN
ILLVSTRI NORICORVM LYCEO
PRO LICENTIA
SVMMOS IN MEDICINA HONORES
ET PRIVILEGIA DOCTORALIA
SOLENNI RITV IMPETRANDI
PVBLICE VENTILANDAM
PROPONIT

ad d. *Junij* *A. O. R.* cIↄ Iↄ ccx.

M. ALBERTVS HEERING
Wertha-Nor.

TYPIS IOD. GVIL. KOHLESII, ACAD. TYPOGR.

PROOEMIUM.



Ateria Medica non uno nomine similis est exercitui. Magna multitudo militum est exercitus: Materia Medica pariter innumeras penè res complectitur, ad debellandos humani corporis affectus comparatas. Exercitus in suas dividitur Legiones, Cohortes, Turmas, nec minus Medicamenta in suas distribuuntur classes atque ordines specialiores. Quemadmodum verò exercitus alicujus robur non tàm è copia quàm virtute militum æstimari solet: ita remediorum non tam multitudo quàm delectus commendari meretur. Porrò uti Duces exercituum plus confidunt militibus veteranis, & quorum virtus sæpe variis in occasionibus enituit, quam recentibus & nondum satis exercitatis: Sic Medici prudentes auxilia præferunt quorum explorata Virtus, & à multo jam tempore constantibus experimentis comprobata existit. Hæc sunt quibus instructus Naturæ Minister aggreditur morbos tanquàm hostes ejus, & sæpe cum exigua manu plures feliciter prosternit. Hæc sunt laudatissima illa polychresta, quorum tàm multiplex quàm certa deprehenditur utilitas, eò magis æstimanda, quò antiquius insimul celebrata. Horum in Ordine haud infimo stat loco IRIS, *medicamentum & antiquum, & efficax, & polychrestum quod etiam* Dioscorides *ex omnibus Materiæ Medicæ speciebus in prima quasi acie primùm collocavit. Satis proinde dignum* Thema Dissertationis Inauguralis *præbere mihi videtur: cujus elaboratio ut benè succedat, Divinum auxilium votis atque precibus meis efflagito.*

A 2 §. *I.* Quod

§. I.

QUod *Iris arcum cœlestem*, meteorum istud aëreum, emphaticum, diversicolor significet, non minus notum est, quam id, quod nonnullæ res aliæ, ob qualemcunque illius similitudinem eodem nomine indigitentur. Sic *Iris* habetur *in oculo*: Sic gemma quædam: Sic plantæ genus appellatur *Iris*, à cœlestis arcus similitudine, quam flores ejus quodammodo referunt, veluti hoc etymon diserte statuit a) *Dioscorides*. Hujus plantæ tam *natuturalem* quam *medicam historiam* (cœteris omnibus missis quibus nomen Iris competit) evolvere decrevi. *Onomatologiam* equidem prolixius tractare non est animus, cum id ab aliis, præsertim *Casparo Bauhino* b) factum jam sit: Quare vel obiter indicasse sufficiet, quod *Iris* Græcorum & Latinorum commune sit vocabulum, quamvis utrique diversimode ejus *genitivum* forment. Ita ἴρεως legitur apud *Hippocratem* ac *Dioscoridem*; ἴριδος scribit *Nicander*, teste *Borrichio*. c) Inter Latinos Veteres *M. Catoni* genitivus similis est nominativo: Sed *Columella* tam *Iridis* quam *Iris*, & hinc in accusativo *Irim*, pronunciat: *Celso* genitivus est *Iridis*. Cœterum Germanica nomina frequentiora sunt, Schwertel / quod figuram foliorum, & Veilwurtz quod Radicum in aliquibus speciebus odorem respicit. Aliarum Nationum vocabula pluraque synonima qui nosse cupit, adeat laudatum *Bauhinum* & *Christ. Mentzelium*. d)

§. II.

Ego id potius nunc agam, ut *Iridis* naturalem Historiam seu *descriptionem Botanicam* declarem. Quandoqui-

a) *De Mat. Med. Libr. I. cap. 1.*
b) *Theat. Botan. Libr. I. Sect. VI. cap. 2.*
c) *Ling. Pharmacop. Lit. I.*
d) *Ind. nom. plant. univers. edit. noviss. p. 162.*

doquidem verò peramplum hoc est nomine veniens plantarum genus, præstabit utique primum illos exponere *characteres, qui universo generi communes sunt*, deinde autem *proprias certis speciebus notas* atque *differentias* subjungere. Istos igitur, nempe *genericos characteres* designare licebit Clarissimi Botanici *Jos. Pitt. Tournefort* *e*) observatione, juxta quam *Iris est plantæ genus, flore monopetalo, in partes sex ampliato, quarum tres sursum, tres vero deorsum spectant. Pistillum e fundo floris surgit tribus petalis instructum fornicatis, & partibus floris deorsum inflexis ita incumbentibus, ut palati cujusdam speciem præ se ferant. Calix autem deinde abit in fructum oblongum, trifariam apice dehiscentem, in tria loculamenta divisum, & seminibus fœtum, nunc subrotundis, nunc planis. Radix carnosa, oblonga, repens & tunicis carens.*

§. III.

Omisi autem studio nonnulla quæ laudatus Autor ex principiis novæ methodi suæ, ad rem præsentem parum facientia, inseruit: Hoc vero prætermittere nequeo, facile conciliari posse *Tournefortum*, pluresque alios, videlicet *Morisonum*, *Ammannum*, qui *sex* tantum *petala Iridi* attribuunt, cum *Paulo Hermanno* & *Johanne Raio*, qui eandem *enneapetalam*, seu floris novem petalis gaudentem faciunt, computando nempe tria ista petala, quæ *Tournefort* non tam ad florem, quam pistillum ejus pertinere censuit. Ipse autem flos, accurrate loquendo est *monopetalus*, tum omnia illa segmenta sive sex sive novem numerentur, in exortu suo cohærent, nec singulatim decidunt. Cœterum *folia figuræ gladii, & acie cauli obversa*, cum *Johanne Rajo f*) genericis characteribus *Iridis* annumerare omnino decebit.

e) *Instit. rei Herbar. edit. alt. p. 358.*
f) *Hist. Plant. Tom. II. p. 1180.*

§. IV.

Accedo ad *differentias Iridis*, quæ pro diverſo ad hanc aut illam plantæ partem reſpectu, diverſæ ac plurimæ emergunt. Sic intuitu *Radicum*, *Iris* alia eſt *bulbosa*, alia *tuberoſa* & *fibroſa*. Quælibet earum rurſus amplam conſtituit claſſem, ac permultas complectitur ſpecies, ita quidem ut ſolus *Tournefort* l. c. *Irides tuberoſas* LXXVII, *bulboſas* vero XXXVIII. circiter, ſpecie diſtinctas enumeret: Mihi vero illas ſaltem accuratius conſiderare propoſitum eſt *ſpecies*, quæ nobilem in Medicina uſum habent. Propterea *miſſam facio totam claſſem bulboſarum Iridum*, utpote haud officinalem, cujus etiam differentias ſæpe laudatus *Tournefort Xiphii* communi nomine ab altera *Iridis*, *tuberoſæ* nimirum *claſſe*, ſagaciter diſtinguit: Hujus autem ſpecies neutiquam omnes, ſed paucæ duntaxat explorati & frequentati ſunt uſus, quarum characteres paulo infra deſignabo.

§. V.

Ratione *foliorum* alia *Iris* eſt *latifolia*, multarum omnino ſpecierum, alia *anguſtifolia*, non paucas quoque continens differentias apud Herbarios imprimis *Caſpar. Baubinum* & *Mentzelium* diſtincte inveniendas. Porro nec minimum diſcrimen peti ſolet *a florum colore*: Hujus enim varietas ingens ac tanta eſt, quanta in perpaucis floribus aliis conſpicitur. Occurrit ſane præter *violaceum*, utpote vulgatiorem *Iridis* colorem, etiam *cœruleus*, *purpureus*, *luteus*, *albus*, non uno rurſus modo ac gradu differentes: quæ quidem colorum diverſitas nomini *Iridis* occaſionem dedit, tametſi plures Botanici *non tàm à multiplicitate colorum in ſpecie, quàm individuo apparentium*, laudatam arcus cœleſtis ſimilitudinem deducant: Cum ex adverſo *alii varietatem coloris in ſpecie hic malint eſſe attendendam.* Prolixius eſt in expen-

pendenda hac controversia *Johannes Bodæus à Stapel* g) ad quem remitto L. B. Interim non dissimulo, quod suspicer, *haud ob solam colorum diversitatem, sed unà* (si non præcipue,) *Iridem comparari cum arcu cœlesti*, propter *figuram arcuatam petalorum trium reflexorum & quæ his per longitudinem adhæret, exporrectam lanuginem, ut plurimum e luteis pilis compositam*, que purpureo, cœruleo, aut alio cujusvis petali colore distincta, Iridem cœlestem sic minus coacte repræsentat.

§. *VI.*

Possem facile plura *differentiarum Iridis* momenta in medium proferre: Sed unicum hoc commemorare adhuc placet, quod *Patriam* sive *locum natalem* spectat. Hujus enim addito nomine ipsi veteres Medici designare satagerunt certas atque *distinctas Iridis species*: sic alia *Iris* est *sylvestris*, alia *palustris*, *montana*, *sativa* &c. Sic passim apud antiquos Autores invenire licet *Iridem* diversimode cognominari *Illyricam*, *Macedonicam*, *Lybicam &c.* Recentiores vero Autores, nunc *Germanicæ*, *Belgicæ*, *Lusitanicæ*, nunc *Panonicæ*, *Illyricæ* ac seorsim *Florentinæ* mentionem faciunt.

§. *VII.*

Opportunum hic esse censeo, ut examinem, *quænam è differentiis illis omnibus optima sit pro medendi scopo Iris*? quam ob rem si veteres Græci & Latini consulantur, ipsi uno quasi ore Illyricam commendant, reliquis ferè posthabitis. Sic *Theophrastus h) Iridem meliorem perhibet in Illyride, quam in Macedonia esse, in Thracia verò cœterisque frigidioribus locis, ac minus cocturæ idoneis, odore penitus carere*. Quin juxta *Galeni i)* suffragium, *si Iris*

g) *Comment. in Theophr. H. B. p. 867.*
h) *De caus. plant. VI. 28.*
i) *De antidot. Lib. 1. c. 12.*

Iris Lybica Illyricæ comparetur, tantùm ipsi cedet, quantum cadaver vivo corpori. Apparet hinc, causam præstantiæ *Iridis Illyricæ* non esse quærendam in eminente caliditate istius regionis, aliàs nobilior foret *Lybica* seu *Affricana*, utpote fervidiore sub cœlo vegetans. Potius igitur *peculiarem quandam vim soli, licet obscuram*, cum *Johanne Costæo l)* in causa esse putaverim, quod in *Illyrico* excellentior nascatur. *Iris Dioscorides* & *Oribasius* pariter optimam judicant *Illyricam*, ita tamen, ut huic proximam vel æqualem faciant *Macedonicam*.

§. *VIII.*

Recentioribus autem temporibus, pleræque Nationes in Europa cultiores *Florentinam Iridem* anteferunt, aut saltem æquiparant *Illyricæ*, nullo quidem errore, cum & ipse *Galenus* l. c. lubens fateatur, *ortam in aliis gentibus Iridem ab Illyrica tam multum haud degnerare.* Quid, quod nec specie, nec florum colore *Illyricam* & *Florentinam* differre perhibeat testis αὐτόπτης *Ant. Mus. Brasavalus m)* ut & *Casp. Hoffmannus n]* qui in hoc solùm discrimen ponit, *quod Illyrica bis floreat quotannis, Hetrusca seu Florentina semel:* idem verò subscribit aliis Botanicis, qui in *Radice* insuper differentiam statuunt, *quod Illyrica extus quidem colore albo sit, intus autem ruffa,* ὑπόκιρρος *Græce dicta, Hetrusca extus & intus alba; hæc odoratior, sed Illyrica calidior existat: pro diversitate igitur indicationum, jam melior erit Illyrica, jam Florentina.*

§. *IX.*

Obiter hîc commemoro, Græcos Veteres *duas* seorsum *Illyricæ Iridis* agnovisse differentias, intuitu figuræ radicis, unde *Plinio o)* narrante, alia *Rhaphanitis*, alia *rhizo-*

l) *Annot. in Mesuæ simpl. cap. VIII.*
m) *Exam. simplic. Medic. p. m. 48. & 49.*
n) *Var. Lect. Lib. I. cap. 8.*
o) *H. N. Lib. XXI. cap. VII.*

rhizotomos appellata fuit, quorum vocabulorum ſenſus, juxta *Andream Cæſalpinum p)* hic eſt, ut *Rhaphanites Radicem in rotunditate oblongam, rhizotomos autem veluti mutilatam detruncatamque* ſignificet, qualis quidem conditionis *Florentina Iris*, quæ communiter ſub hoc nomine venditur, eſſe ſolet. Cœterum in eo fere conſentiunt Botanici recentiores, quod *Iris Hetruſca*, cujus radix tanquam præſtantior expetitur, *flores* ferat *nivei candoris*: talem enim in Hetruria paſſim coli teſtatur *Henricus Smetius q) Cæſalpino, Caſp. Bauhino &c.* conſentientibus.

§. *X.*

Notas bonitatis in *Iride* ſequentes animadvertit l. c. *Dioſcorides*, ut nimirum *pumila fere ac denſa conſtet radice, frangenti contumax, ſubruffo colore, guſtu amaro, odore perquam ſincero, ita ut nullum prorſus ſitum redoleat, & quæ, dum tunditur, ſternutamenta moveat.* Omnes hæ notæ ad uſitatam penes nos hodie *Florentinam Iridem* facile quadrant, excepto colore, qui in hac, velut antea e *Caſp. Hoffmanno* retuli, ordinarie *albidus* deprehenditur, tametſi interdum occurrant quædam fruſta, intus manifeſte ſatis rufeſcentia; ſed talia *Illyricæ Iridis* ſpecimina quis forſan dixerit? cui non repugnaverim, parum quippe ſollicitus, quo loco nata ſit, ſi modo præcipuis laudabilibus notis gaudeat in uſum vocanda *Iris*. Juvabit hac in re monentem ſequi *Galenum* l. c. *Iridem odoratiorem ſemper eligito: unumquodque enim optimum eſt, quod ſui generis odorem habet vehementiorem.*

§. *XI.*

Præter Iridem vero Florentinam, utpote exoticam, in uſu quoque eſt noſtratibus Iris Sylveſtris aut vulgaris Germanica, blaue Schwertel & Himmel Schwertel/

 item

p) *de plant. Lib. X. cap. 36.* q) *Miſcellan. Lib. IX. cap. 2. p. 568.*

item blaue Gilgen nuncupata. Hanc fuse describit Casp. Bauhinus l. c. Differentiam vero ab Illyrica & Florentina in eo præsertim ponit C. Hoffm. r) quod radicem gerat rugosam minusque odoratam, uti sane duplici hoc discrimine ignobilitatem suam cuivis exploranti facile prodit. Nihilominus & ipsa officinalis, & suis prædita est virtutibus non spernendis, maxime quamdiu recens fuerit Iris hæc nostras, quemadmodum infra pluribus edisseram. Curiosum forsan nimis est discrimen quod in Iride ista Sylvestri statuit *Nic. Wincklerus s)* quando duum esse generum censet, unam sativæ per omnia similem, nisi quod radices sint graciliores, alteram foliis gladioli longioribus, flore novem petalis purpureis constante, quorum extima superior tantum pars aureis pingatur lineis: Sed utrumque istud genus plane non differens autor ille pronunciat, radicis respectu, quam tenuem, lignosam, geniculatam, sufruffam & inodoram esse tradit.

§. XII.

Colligendi modum quod attinet, plane superstitiosum narrat *Plinius* his verbis: *Fossuri tribus ante mensibus mulsa ▽a circumfusa, hoc veluti placamento terræ blandiuntur, circumscripta mucrone gladii orbi triplici: & cum legerint eam, protinus in cœlum attollunt. Tempus collectionis*, judicio *Mesuæ t)* melius est *principium Veris*, quod non perperam præcipi existimat *Costæus*, quia tunc utili humore multo prægnans est radix, in producenda scilicet folia ac flores parato; quare & extrahendo succo magis idonea est, ac si ex siccanda sit, viribus longe superior, alioqui, si autumnum expectas, esse eo tempore solet arida, quæ alendis & foliis & floribus humore insito plurimo est exhausta; Neque autem est (quod in aliis plantis evenit) ut foliorum casum in hac expectes: quan-

do

r) *de simpl. med. c. VIII.* s) *Chron. herbar. Lit. R. 3.* t) *Comment. in Mes. l. c.*

do, perpetuo etiam hyeme, illi inhærent. Non temere ergo Mesue vernum tempus huic eruendæ radici adscribit: hactenus ille. Cœterum communis quoque aliis radicibus existit *ratio tractandi effossam Iridem*, *à Dioscoride* laudata, ut, *frustatim dissecta siccetur in umbra*, & *trajecta lino recondatur*: quamvis ne sic quidem conservari satis feliciter possit hæc radix, utpote quæ, jam tum *Plinio* teste, *non sicca modo, verum & delitescens adhuc in terra, celerrime sentiat teredines*: cum interim hoc non obstet, quo minus *odoratior in vetustate reddatur* ipso etiam *Dioscoride* observante. Est vero etiam *usus singularis succi Iridis*, præsertim *nostratis*, *è radice recenti extempore exprimendi*, quemadmodum suo loco pluribus indicabitur.

§. XIII.

Recensiturus nunc *virtutes Iridis*, haud morabor lites veterum, circa *primas* ejusdem *qualitates* harumque *gradus*, tametsi plerique *calidam & siccam inter secundum atque tertium ordinem statuant*. Nonnullorum vero discrepantes sententias proponit *C. Bauhinus* l. c. Ego potius *secundas* atque *tertias* sic vulgo dictas *qualitates*, utpote certiores, & multiplici effectu comprobatas enarrabo. Manifestum itaque hoc esse imprimis puto, omnem *Iridis radicem*, propter abundantiam *salis acris atque subtilis*, tam gustu quam olfactu percipiendi, *incidere*, *attenuare* & *resolvere*: propter 🜍r autem, sive *particulas °°oso ramosas*, *una cum salinis substantiæ ∇reo, mucilaginosæ immersas*, *abstergere*, *emollire*, *digerere*: quæ sane cuncta non rationi solum analoga, verum & experientiæ satis sunt conformia. Incidendi quidem & attenuandi magnam potentiam commonstrat evidentissimè constans *effectus purgatorius* vel evacuandi per alvum. Quare non solum, *Dioscoridis* testimonio, epota ex hydromelite

 drach-

drachmis ſeptem purgat bilem, craſſamque pituitam, verum etiam *Ruffus*, & ex ipſo *Oribaſius*, *u*) perhibent, *ſuccum Iridis validiſſime tam bilem quam aquas movere; Imo, ſi plus juſto detur, etiam ſanguinem trahere.*

§. *XIV.*

Dicta *virtus Iridis cathartica* facile perſuaſit recentioribus Medicis, ut ſeorſim in *hydrope* facerent periculum ejus, quamvis circa doſin haud parum diſſideant: uti ſane varias variorum ſententias exponit *Simon Paulli x*) è quibus, inter ſe collatis, hoc demum colligitur, infimam doſin eſſe unc. ß. ſummam unc. tres aut quatuor. Scribit *C. Hoffmannus y*) quod cum *iſte ſuccus ſæpe faciat ardores, non in faucibus tantum, ſed & in toto corpore*, quidam prorſus abhorrere ab illo; ſed diſtinctione hic opus eſſe idem cenſet, cum in *Germanica* id fieri veroſimile ſit, in *Florentina* non æque; Deinde verum id eſſe *de ſucco crudo, per reſidentiam non depurato*, quod tamen fieri debet ſi modo tutò curare volumus. *Corrigitur* autem (ut porro ille infert) *hæc acrimonia ſucci* à Practicis, addito *ſaccharo* aut *manna* aut *melle roſato*: Sed præterea hanc habet malitiam, *autore Meſue*, quod *ventriculo moleſta* ſit, quam ipſe obtundendam præcipit ſpica & mulſa.

§. *XV.*

Cœterum iſtam *ſucci Iridis violentiam ſe quidem expertum negat Mart. Liſterus z*) etiamſi ſæpius in Hydrope ad tres quatuorve unc. dederit: *an forte quod Iridis ſuccus apud Anglos nutritæ mitior ſit? At de noſtratis*, ſeu *Germanicæ Iridis ſucco* certum ſatis hoc eſt, quod non ſolum potenter evacuet hydropicos, ſed & faucium inſigni ardore corripiat: Memorabilis hanc in rem hiſtoria, per *Jacobum Wolfium* communicata, extat *in Miſcellaneis*

u) *Collect. Libr. VII. c. 27. p. m. 295.* *x*) *Quadrip. Botan. p. m. 70. & de doſ. medic. purg. p. 590. & 91.* *y*) *de medicam. officin. libr. I. c. 20.* *z*) *de morb. Chron. Exercit. I. p. m. 57, 58.*

Acad. Nat. Curioſorum aa). Ut autem jucunde non minus quàm tuto operetur validum hoc purgans, medici diverſos corrigendi per aromatica, ſaccharata, mellita &c. modos præſcribunt, cujusmodi tres egregios exhibet l. c. *Smetius.* Nec contemnenda forſan eſt methodus *Theod. Mayernii bb)* quando *ſucci è rad. Irid. expreſſ.* & per ſubſidentiam parati unc. ß. cum Syrup. roſ. ſolutiv. unc. ij.: ſimul ordinat hydropicis. Idem Auctor pro eodem ſcopo, non minus commendat ipſam radicem, in ſubſtantia exhibendam, ſequentibus verbis: *Hydragogum excellens eſt rad. Ireos Flor. rec. & fragrans, in tenuiſſ. pulv. redacta, ex vino albo à ʒj ad ʒij ſumta copioſe operatur & blande. Sæpius dedi hydropicis felici ſucceſſu, & per ſe & cum jalap. [cui permixta egregiè purgat] & cum Mercurio dulci. Conſumit materiam cachexiæ & hydropis, & tumores œdematoſos uſu tollit.* ℞. *Ir. Flor.* ℥iij, *macis* ʒij, *zinzib.* ʒiij *vel* ℥ß, *F. pulvis Detur quotidie mane cochlear, j. cum ſaccharo in vino albo vel cerevisia. vel.* ℞. *Irid. Flor.* ℈j. *Tartari* ⊕*lati, macis, cort. Wint. cort. ſaſſafr. aa gr. v. ſandal. citr. curcumæ, aa* ℈ß, *ſacch. aniſ.* ʒj. *M. f. pulv. pro una doſi, Detur ex vino quotidie.*

§. *XVI.*

Atque ita ſatis me declaraſſe puto inſignem *Iridis vim catharticam* præſertim *in educendis aquis Aſciticorum.* Pariter autem *purgandi fine Oribaſius* l. c. drachmas tres *illius radicis ex melicrato ſumendam ſuadet ſpleneticis, quotidianam aut quartanam febrem habentibus, ſpiritus anguſtiâ laborantibus, & quos tuſſis & colicus dolor infeſtat.* Quantum ad *febrifugum* uſum attinet, hunc quidem ab aliis medicis tantopere laudatum non deprehendo, quod autem *colicis torminibus, apud infantes maximè,* medeatur, ſi quando talia ſaburræ viſcido flatulentæ originem debent,

aa) Dec. II. Ann. VIII. obſ. 63. bb) Prax. med. Syntagm. I. Libr. 3. c. 10.

tam *virtus Iridis incidendi & abstergendi* in dubium facit, quàm creberrima Practicorum experientia confirmat. E multis unicum *Simonem Paulli* vocare placet in testimonium l. a. ita scribentem : *Utilis quoque est [Iris Florentina] ventris inflationibus medendis ; quibus quoniam facile recens nati infestari solent, temperare mihi non possum, quin vobis descriptionem pulveris communicem , cujus usu D. Jacobus Martini quam plurimos ab his vindicavit, propinando eis hujus scrupulum unum itemque alterum in lacte nutricis solutum.* ℞. *autem rad. Pæon. Ir. Flor. aa* ℥ij. *Croci* ʒij. *Sacch. albi* ℥ij *candi* ℥iß. *Penidii* ʒß. *misc. f. l. a. pulvis subtilissimus.*

§. *XVII.*

Non solum autem propter particulas incidentes atque *abstergentes Iridem sedare tormina* verosimile est, sed etiam mediante 🜀re blando balsamico, quod pacandis cum nervoso genere spiritibus idoneum perquam videtur. Huc digitum intendit *Dioscorides* , dum & *somnum conciliare* Iridem asseverat. Verissimum id esse Listerus testatur. Effectum tamen hunc limitat *C. Hoffmannus*, eundemque non à vi narcotica sed *substantiâ vaporosâ* , [quali constet quoque Crocus, Myrrha, Ambra &c.] procedere putat. Id autem fieri in *corporibus frigidis & humidis*, non calidis & siccis : subscribit huic sententiæ *Simon Paulli*, ne plures adducam testes : cum interim existimem requiri ad istum effectum obtinendum non modo *fragrantiorem Florentinam Iridem , sed ipsam probe siccatam ac diuturnæ evaporationis beneficio a sale acriori volatili liberatam*: Hæc enim forsan est ratio, quare *Iris vetustior elegantius fragret quam recens.* Atque ut meum qualecunque judicium proferam , *ubi magis incidendum, resolvendum & evacuandum est , Iris recens, vel succus ejus præstabit, ubi verò demulcendum & roborandum, potius anosa ac per ipsam vetustatem blandior reddita conveniet.*

§. XVIII.

Taceo varias insuper *vires* Iridi a variis attributas, nimirum *urinam*, *calculum* & *menses movendi* &c. quæ sane ex dictis per analogiam facilè probabiles redduntur. Quod *gonorrhæa* simplici aut involuntariò seminis profluvio laborantibus Iris conducat, non tantùm *Dioscorides* tradidit, verùm & *Gabr. Fallopius cc)* suam addit experientiam, se scilicet pluries in hoc casu usum, maximo cum successu, exhibendo radicis hujus pulverisatæ ʒj. cum Sacchari rosati ℥iß, quotidie per dies quadraginta mane, hujus mixturæ cochleare unum exhibendo. Sit fides penes auctorem. Vulgatior sane est *usus errhinus*, quandoquidem non solum, *Dioscoride* jamdum observante, *sternutamenta & lachrymas movet*, naribus nempe excepta *Iris*, adeoque ab extravasatis & stagnantibus serosis humoribus caput liberat, irritante salis acrimonia, sed etiam suavibus ♃reis exhalationibus roborat, spiritusque reficit, quotidie hinc eo nomine frequentata.

§. XIX.

Cœterum excellit omnino *Iris pectorali virtute*, ita ut vix magis concordes ullibi medicos invenire liceat, quàm in hac asserenda. Plurimi tamen etiam hos usui præfigunt terminos, ne ultra statum *frigidæ & humidæ intemperei* ille extendatur. Quare *perperam* in hac radice quærerent solatium *tussi sicca*, *hæmoptysi* aut *phthisi vera afflicti*, quibus ipsa propter acrimoniam & caliditatem suam non poterit non obesse magis. Rectius itaque præscribitur *asthmaticis* & *infarctu pulmonum humido-viscido laborantibus*: hunc enim potenter resolvit, & ad facilem expectorationem disponit. Ingreditur propterea *Iris* plerasque *compositiones* tam *officinales* quàm *magistrales*, *pectori*, per tussim & screatum mundificando *dicatas*. Pro-

stant

cc) *Comment. in Diosc. Libr. IX. c. 6.*

ſtant in officinis duplices *Dia-Ireos ſpecies*, nimirum *ſimplices*, & *compoſitæ* Actuarii aut *Salomonis*: Utrarumque accuratam analyſin *Bern. Deſſenius Cronenburgius dd)* & *Franc. Alexander ee)* inſtituerunt. Mihi vero in præſens ſufficit de illarum uſu perdocta *C. Hoffmanni* ἐπίκρισις, *quod nempe non ad purgandum faciant, verum ad deſtillationes, hac limitatione, ut ſimplicis quidem uſus ſit ab initio, antequam malum invaleſcat, compoſitæ autem in affectu diuturno, præſertim frigido.*

§. *XX.*

Poteſt autem fere commodius *ex tempore in pulverem redacta Iris* præſcribi, & ſingulis caſibus, vel ſola, vel juncta aliis, propiniari, facilius ſic determinanda doſi & accommodando uſu ad cujusvis ægroti ſtatum, & medici arbitrium. Eſt enim profecto *Iris* ex illorum ſimplicium numero, quæ *quam minima præparatione indigent*, ſed probe tantum ſiccata & conſervata in quaslibet formulas prompte rediguntur. Quare nec operæ pretium duco evolvere plures, aut olim, aut hodienum officinis familiares *ex Iride compoſitiones.* Quin & nonnullæ fruſtra ſuſcipiuntur præparationes, cujusmodi eſt *aquæ Iridis* deſtillatio, cui (licet odore & ſapore prorſus non careat) facile tamen palmam præcipit *infuſum aut decoctum. Joh. Poppius ff)* mentionem facit *olei ex Iride deſtillandi*, quod tanquam nobiliſſimum remedium cephalicum, & inprimis pulmonum, tum etiam aliorum viſcerum languoribus ſuccurrens ille commendat. Mihi vero quærenti *oleum Iridis, mediante (*ut artis eſt*) cum aqua deſtillatione*, nihil comparuit, præter ipſam aquam quodammodo albidam ac turbidam, odoratam tamen, ſupernatante *pauciſſima unguedine*, qualis fere cum aqua roſarum prodire ſolet; ut adeo aut mentitum eſſe, aut alia methodo deſtillaſſe ſuum *Iridis oleum* ſuſpicer *Poppium*.

§. XXI.

dd) de compoſ. medicam. p. m. 172. 73. *ee) Apoll. ad 1. p. m. 163. 65.*
ff) Kreuterbuch *p. 424. & 25.*

§. XXI.

Uſitatius, & citra difficultatem parabile eſt, per in fuſionem & coctionem, 🝆eum *Irinum* jam pridem celebratum & creberrime adhibitum, quod quibus locis olim maxime præſtans fuerit confectum *Plinius* edocet. Ipſæ verò compoſitiones à diverſis traduntur diverſæ. Noſtratibus in officinis extat *🝆eum Irinum Meſuæ*, quod unam radicis, duas florum partes in 🝆eo veteri macerandas & coquendas ſecundum artem recipit, quod etiam exceptionem facit illius *aſſerti Pliniani*, *quod Iris radice tantum commendetur*. Quamvis exiſtimem, *flores* omnino *plurimum imbecilliores eſſe radicibus*, illosque in compoſitione olei citra errorem omitti poſſe, aucto ſaltem harum pondere. Cœterum *uſus 🝆ei Irini* (quod calidiſſimum & penetrantiſſimum *C. Hoffmannus* pronunciat) *ordinarie ſaltem eſt externus*, quem tamen in *Pharmacop. Auguſtana* prolixius laudatum jam non moror, ſed potius ad *Iridis* ipſius *externe vario modo adhibitæ nobiles quosdam effectus merito pandendos propero.*

§. XXII.

Meretur autem hoc primum notari, quod *maſticata Iris balitum oris commendet*, propetereaque *dentifriciis pulveribus* communiter addatur; quia non ſolum balſamico ♀re putredinem gingivarum præcavet, ſed & has unà cùm dentibus abſterſiva virtute mundificat, & nitidiores reddit, denique etiam confirmat. Quin & *Iridis decocto, ſi dentes foveantur, dolorem eorum mitigari* perhibet *Jacobus Horſtius* gg.) Popularis neque vituperandus mos eſt, *infantibus dentitione occupatis appendere Iridem Florentinam*, ut hujus crebriori commorſu *facilitetur ipſorum dentium eruptio.* Seorſim quoque *ozæna laborantibus*, *aut quibus alias anima fœtet*, *Iridem mandendo conducere teſtatur*

C

gg) *Herbar. Horſtian. p. 250.*

tur Simon Paulli l. c. ubi & ipse *usum Iridis in pulveribus sic dictis cypriis* capiti roborando & capillicio conspergendo excogitatis, horumque *abusum* erudite examinat, & perstringit.

§. XXIII.

Cœterum *pleraque de usu Iridis interno*, in variarum partium affectibus salutari, a me relata, *de externo etiam usu prædicari possunt*. Sic pro *capite roborando, & doloribus ejusdem frigidis sedandis*, oportunè *Iris* recipitur *ad cucuphas* aut sacculos capitales. Sic *respiratione difficili* ab infarctu pulmonum viscido, nec non *tussi humida* laborantibus prodest *fomentum pectoris ex Iride vel* ℴℴeum ipsius illitum. *Pulverisata* Iris cum zedoaria & calamo aromatico, inspersa calido pani e clibano extracto, atque imposita ventri, *fortissimam colicam mitigat*, fidem faciente *Horstio l. c.* Tusam & decoctam *Iridis radicem in fotu adhibendam, adversus mensium obstructiones, commendat Hippocrates*, cui consentit *Dioscorides*, hoc etiam addens, quod *cum melle, glandis modo subdita Iris, partum extrahat.*

§. XXIV.

Laudatur insuper Iris, uno quasi ore a medicis, tanquam *topicum* emolliens ac digerens *validissimum*: quo quidem nomine ipsam iterum extollit *Dioscorides, quod cocta & illita strumas, veteresque duritias emolliat*. Qui vero tumores resolvi adhuc queunt, eorundem materiam non minus promte *dissipat*, unde *Scribonius Largus ii) Irim Illyricam coctam ex passo, calide bis terve impositam bene discutere parotidas* observavit. Neque minus eminet *abstergendi potentia Iris*, utpote cui tam salinæ acres quam ♀reo-mucilaginosæ ejus moleculæ famulantur; Quapropter *smecticis remediis* jure suo dudum annumerata fuit. Admotam hinc *radicem Iridis*, cum albo veratro, & duabus mellis partibus, *lentigines & vitia*

hh) Lib. de nat. muliebr. edit. Föes. Sect. IV. p. m. 140. ii) Composit. med. n. 43.

vitia cutis in facie à ſole contracta emaculare, *autor eſt Dioſcorides.* Eandem ob rationem hodieque *ſmegmatibus ſive ſaponibus odoratis*, (quorum uſu gaudent delicatuli ad abſtergendam & nitidiorem reddendam cutem) *Iris Florentina* ſolet immiſceri.

§. *XXV.*

Nec ſilentio poſſum prætermittere eximiam *vim Iridis travmaticam*, quæ a plurimis commendata legitur, tametſi magis *ad antiquas & ſordidas partium ſolidarum continuitatis ſolutiones*, e.g. *ulcera* varii generis, quam ad *vulnera recentia* uſus ille reſtringitur. Hic iterum adeſt ſuo teſtimonio *Dioſcorides*, *ſiccam Iridem ulcera replere*, *cum melle purgare*, *nudata oſſa carne operire*, *&c.* Huic omnino ſuffragatur *Meſue. Hieron. Tragus ll)* inſuper *ulceribus cancroſis*, *fiſtulis*, *herpeti* aliisque, *genitalium* præſertim vitiis *inſperſam Iridem* conducere affirmat. Ne uſum in ſpecie contra *paronychiam* è quorundam obſervatione hic commemorem prolixius, id ſaltem puto minime obſcurum eſſe, quod *Iris*, partim mediantibus *ſalino-ſmecticis particulis*, ulcerum atque vulnerum mundificationi; *ſulphureo-balſamica* autem *ſubſtantia*, putredinis correctioni, carnium regenerationi & conſolidationi aptiſſima exiſtat. Has hactenus propoſitas *Iridis egregias dotes atque tam internas quam externas utilitates* qui ſecum perpenderit, facile, puto, adſtipulabitur *Plinio*, qui iſtam *unguentis & medicinæ natam*, cum admiratione pronunciat: Nec hyperbolice locutum judicabit *Dioſcoridem*, qui in *univerſum magni ad omnia uſus*, *Iridem* eſſe declarat.

§. *XXVI.*

Coronidis loco nonnihil annectam *de uſu Iridis extra Medicinam*, aut ſaltem non directe ad hanc pertinente. Fragrantia certe hujus radicis, & balſamicus character mor-

ll) Hiſt. ſtirp. Lib. II. c. 31.

mortalibus haud difficulter persuasit, *ut ad conservandas à corruptione & condiendas res varias*, illam expeterent. Sic *vestimentis* additur, ut tineas prohibeat, & erosionem à vermibus impediat, dictitante *Horstio*, qui etiam *usum in condiendis cadaveribus Magnatum*, cum *Simone Paulli* expresse laudat.

§. XXVII.

Virtus ad vinum & dolia (quibus hoc asservatur) *condienda*, jam olim explorata fuit. Sic *M. Cato mm) ad labra doliorum circumlinenda, ut bene odorata sient, & ne quid vitii in vinum accedat, Irim aridam contusam praescribit*: Qui usus hodienum fere passim obtinet, quando *lintea sulphuri liquefacto intincta*, *Iride* præsertim, tum aliis fragrantibus rebus *conspersa* (vulgo einschlag vocant) accensa suspenduntur in doliis, ut hoc suffimigio perfusa vinum rectius conservent. Quin & *Columella nn*) *ad vinum dulce faciendum*, & alias diversimode *salubriter condiendum*, *Irim* in substantia infundendam præcipit. Tribus saltem verbis hoc refero, quod *è floribus Iridis, violacei aut saturati cœrulei coloris, paretur atramentum cœruleum*, (Veil-blaue Safft Farbe) cujus conficiendi artificium accurate recensuit *P. M. Caneparius* oo) & *Johannes Rajus* l. a. Ego hic pedem figo, Lect. benev. veniam deprecatus, sicubi erraverim, aut justo brevior forsan in tractatione hujus thematis visus fuerim; uti certe tam paucis plagulis omnia ad illud referenda mecomplecti non potuisse ultro confiteor. DEO autem T. O. M. ut pro aliis innumeris beneficiis, ita quoque pro concessis hucusque Academicorum studiorum adminiculis devotissimas nuncupo gratias.

F I N I S.

mm) de re rust. c. CVII. *nn) de R. R. Libr. XII. c. 27.*
oo) de atram. descript. V. c. 4.